This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



POEMATA VARIA

QUORUM NONNULLA

Nunc primùm in Lucem eduntur.

Quod ſcribo hoc oculis interdictum volo lippis.
Hinc oculos quoque et interdico maximè acutos.
Plus ſatis hi cernunt, ubi non cernunt ſatis illi.

LONDINI:

MDCCLXXXI.

300. g. 12.



AD LECTOREM.

VERSUS hos, quos jamdiu honeſtæ oblectationis causâ aut ſcripſi aut ex aliorum operibus ſelegi, nunc in lucem publicam proferre volui ut pluribus eidem uſui inſervirent. Hic libellus igitur non ad reipublicæ litterariæ contemplationem provocandam proponitur, ſed lectores otioſos et Latini carminis amicos aſſequi præcipuè gaudebit. Hoc verò ita intelligi volo: Me nunquam putaviſſe hunc poematum delectum, ſolius pene voluptatis causâ inſtitutum, ideò a ſeveris et peritioribus viris omninò negligendum eſſe, aut eorum cenſuras jure negligere potuiſſe; quum ſciam optima eſſe illa quæ maximè delectant, neque enim, niſi bona, delectare poſſent.

Pauca quædam de excerpendi modo, quem aliquando obſervari, præfari neceſſe eſt. Varia

in

in hoc libro carmina ex obſcuris et rarioribus ſcriptis deſumpta ſunt, ubi poema quoddam integrum nemo ferè ſine nauſeâ et indignatione percurrat. Ego quidem, cui inter tales ſcriptores diu multùmq; verſari contigit, malas et inficetas partes ſubtrahere nihil dubitavi, et diſjuncti poetæ membra, quatenùs induſtria et ingenium meum valeret, quodammodò connectere conatus ſum. Hoc profectò intelligendum eſſe volui ne quis alicujus carminis varietatem recognoſcens, et inſtituti noſtri non præmonitus, alienas opes nos invadere ſuſpicetur, et plagiarii nomine immeritò deturpet.

ODARUM LIBER PRIMUS.

ODE PRIMA.

IN TYRANNOS.

UTCUNQUE natus ad dominos trémat
Servile vulgus, me neq; carceris
  Horror locuturum nec enſis
  Dimoveat minitantis ictum.
Audite Reges, quos hominum cruor
Bis purpuratos tinxit, an oſtreis
  Veſtes coloratas rubere
  Non fuerat ſatis? Ergo ſanguis
Debebat addi corpore civium
Expreſſus? Odi nomina Cæſarum
  Noctu ſenatores citantum
  Attonitos ſpatioq; Rhombi
Metuq; mortis: quod libet, hoc licet
Clament Nerones; quod licet, hoc libet
  Rex juſte dicas; ſed nec omne
  Quod licet hoc libeat regenti.

Sui imperator latiùs imperat
Quam ſubditorum. Parcite, Principes,
Munire vos circùm timendis
Excubiis; trepidare neſcit
Quicunque blandâ fronte volentibus
Dat jura terris: fortiùs attrahit
Tranqnilla ſubjectos poteſtas;
Si tonitru fremat uſq; rauco
Immite cœlum thura quis offerat
Preceſq; ſupplex? Torva ſeveritas
Cruore gaudentis tyranni
Debilior nimio fit uſu,
Nec intuentes aut ſolii juvat
Sceptrive faſtus. Qui nivibus ruit
Torrens ſolutis perq; campos
Spumeus ac ſata læta multâ
Cum ſtrage fertur: lenè fluit Tagus
Ditatq; ripas; lenè ſuper Pharon
Extendit almam Nilus undam,
Et tepido fovet ore fruges.

ODE SECUNDA.

GENERIS HUMANI LAPSUS.

VILES illecebras manu
Invadens avidâ, nec colubri dolos
Nec Divûm metuens minas,
Oblatas mulier corripuit dapes.

Vix

Vix fætum furialibus
  Labris peſtiferæ contigit arboris
Diro, nec mora, ſemine,
  Fatalis ſoboles, Mors oritur, ſuis
Formidanda parentibus,
  Nec parcens generi barbara poſtero.
Eheu! credulitas mala,
  Divinæq; fames cæca ſcientiæ!
En ut par Superis homo,
  Promiſſiq; potens anguinei, probro
Oppreſſus latebras petit
  Æterniq; oculos fallere Judicis
Sperat ſub nemorum comâ,
  Auctam nempè probans ſic ſapientiam!
I nunc, I, temerarie
  Contemptor Superûm; jam pudor induat
Brutas, ipſe ſibi gravis,
  Pelles, et pecudum funera dum vides
Fortunam metuas parem.
  Cælum ſtultitiâ præcipiti petens
Nequicquàm meritò miſer
  Primis dejiceris caſſus honoribus.

ODE TERTIA.

AD MUSAM HISTORIÆ PRÆSIDEM.

QUAS ars Apellis pinxit imagines
Delevit ætas. Marmora corruunt;
Nec tempus Ægypti ſtupendis
Molibus exitiale parcit.
Quin et ſonanti carmine turgidam
Spernit Poeſin candida Veritas;
Fidemq; ſuſpecto ſevera
Poſteritas operi negabit.
Tu ſola cultu ſimplice pulchrior;
Ignara fuci, ſola vetas mori
Heroa, veraceſq; famam
Scis dare per titulos perennem
Clio, ſepultis præſidium ac decus,
Magiſtra, Clio, duxq; ſuperſtitum,
Tam certa virtutis ſatelles
Quàm ſcelerum metuenda vindex.
Per te ſuorum deliciæ breves
Titus nepotum mentibus intimis
Vivit; nec ætates nocere
Mille bono potuere Nervæ.
At qui ſceleſto viſcera diſcidit
Materna ferro te patitur graves
Ultrice pœnas, mors nocentem
Non luerat ſatis una vitam.
Rudi ſenilem tu ſapientiam

Addis

Addis juventæ; tu ſenioribus
Ætate jam partos et uſu
Das locuples cumulare fructus.
Regum ſuperborum ædibus arduis
Rarò ſubiret te ſine veritas,
Mendax adulantum caterva
Laudibus inſidioſa blandis
Arcet verecundam imperioſiùs
Quàm ſæva denſi tela ſatellitis,
Greſſu ſed audaci tremendum
Te ſuperat præeunte limen.
Tecum verendis in penetralibus
Deliberantum concilio intereſt,
Docetq; quid poſcat remiſſo
Quid tumido ratis acta flatu.
Quæ Pacis artes, quo deceat modo
Tractare Martis prœlia fervidi,
Quæ poſſit inſanos furentum
Frangere vis hominum tumultus.

ODE QUARTA.

AD RODOLPHUM.

QUUM vix egentem vomeris aream
Fœcunda ſpicis integeret Ceres
Tunc te beatum, tunc amicâ
Credideras tibi luce ſoles

Fulfiſſe: ſed nunc procubuit ſeges
Et arva miles meſſuit hoſticus.
Rodolphe, quid luges? dolorem
Cauſa levet, patriæq; dulcis
Commune damnum. Quamlibet improba
Stultum eſt querelis fata laceſſere;
Culpare fortunam probroſum:
Si Domino caput obligâſſet
Confeſſa numen ſe famulum fore
Citare poſſes, ſed levis eſt Dea
Leviſq; dici tota gaudet,
Idq; negat meretrix negare.
Ibis Gradivum ſiſtere Judici?
Sed omne miles jus capulo dedit;
Hic crimen objectum refellet
Enſe, tubæ ſonitum diſerto
Opponet ori: perge miſer queri
Non audiendus! conſule me tamen
Silebis ærumnas, et altâ
Mente premes; ſuperatur omne
Malum ferendo; ſæpe beatiùs
Rodolphe, cenſu paupere vivitur
Et rebus anguſtis. Quid ambis
Divitias? ſatis ille dives
Quem fortuitis ex opibus nihil
Irritat; ingens eſt patrimonium
Cupido nullius cadaci, et
Fervida diminuiſſe vota.

ODE

ODE QUINTA.

AD SOMNUM.

SOMNE, curarum requies, veneno
Efficax dulci reparare vires
Quas dies ſensim minuit, laborum
Anxia nutrix,
Cur meo cur ah! procul e cubili
Avolas verſis, fugitive, pennis,
Integras damnans vigilare mœſtum
Te ſine noctes?
Luna ter, cœlo revoluta, clarum
Extulit cornu tua dum per umbras
Dona nequicquàm videt inquietis
Poſcere votis.
En tibi preſſo ſilet ore lucis
Nuntius, ſtrati ſiluere venti,
Ipſe fons dormit placidè refuſis
Margine lymphis.
Si venis tum me referente grates
Audies vitæ pater atq; cuſtos,
Pallidæ nec jam metuas vocari
Mortis imago.

ODE SEXTA.

AD AULUM, ASTROLOGUM.

DIC, precor, cœli ſpeculator, Aule,
Sydus in fauſtum mihi cur minaris?
Liberam nullo Superi coercent
Sydere mentem.
Nam quid audacis toties coruſco
Naſcitur Martis timidus ſub aſtro?
Naſcitur cur ſub malè litterato
Arcade doctus
Dextra ſi divina peculiarem
Singulis vim Syderibus dediſſet,
Cui, genus ſervile, hominum jaceret
Subdita turba?
An magis cordi cerebroq; noſtro
Pallidum Lunæ jubar imperabit,
Quàm ſibi præſens animus, ſuoq;
Robore fidens?
Ite Chaldææ Phariæq; fraudes;
Tolle mendaces numeros, et artis
Barbaræ tandèm nimis àbſtineto
Callida Memphis.
Sum meæ ſolus faber ipſe ſortis;
Viverem nec plus ſapiens, minuſve,
Aule, naſcenti duodena quamvis
Signa coiſſent.

ODE SEPTIMA.

SOMNIUM.

QUÆ ſpectacula detinent
  Senſus attonitos? indoluit meis,
Credo, victa malis Chloe.
  Quæ vis indomitam continuò poteſt
Emollîſſe ferociam?
  An ſomnus miſeris ſuetus amantibus
Falſa emittere gaudia
  Torquet me volucri ſævus imagine?
Illam num video Chloen
  Quæ deſideriis læſa fidelibus
Semper difficilis fuit,
  Semper dura, ferox, illachrymabilis?
At ſuſpiria quid ſibi
  Intempeſta volunt? Cur tua fletibus
Turgent lumina? ſcilicèt
  Quæ ſecreta facis vota diù pudor
Oppreſſit malè barbarus.
  Importunam hodie fortior audeat
Expugnare modeſtiam
  Qui divos hominesq; unus amor domat
Et quotquot tulimus mala
  Secretis properet deterere oſculis,
Ergo nunc benè mutuis
  Certemus venerem explere caloribus,

Nunc

Nunc pectus mihi—Jupiter !
Quis me ſuſcitat ? ah ! ferreus es nimìs
Nec Carthagine mitior
Qui tam grata potes rumpere ſomnia.

ODE OCTAVA.

AD PETRONIUM, DE MELITE PINGENDA.

PINGE, Petronî, tibi viſa ſæpe
Ora formoſæ Melites, et artus,
Ars ut abſentem cupido Puellam
Reddat amanti.
Integram ſani ſolidiq; pinge
Corporis, vultu roſeo juventæ
Fulguret lumen, nec enim bis octo
Tranſiit annos.
Impleat juſtæ modulum figuræ,
Longior parvis, breviorq; longis,
Sint procul pallæ, magis ut probetur
Nuda videnda eſt.
Expedit primum dominæ modeſtam
Crine nigranti redimire frontem,
Æmulos illi ſed utrunq; jactet
Lumen honores.
Quo genas fuco, labra quâ colores
Purpura ? Lacti ſimilis niviq;
Dentium ponatur eburneorum
Lucidus ordo.

Marmoris

Marmoris vincens decus atq; ceræ
Recta conſurgat tenuiſq; cervix,
Mollior plumis eadem, tenellâ
Mollior herbâ.
Pinge nunc læves humeros, Petronî,
Pinge certantes humeris lacertos,
Sæpe queis noſtro Melite pependit
Candida collo.
Lilio dextram roſa juncta reddat,
Reddat et lævam, digitoſq; longos
Mallei ſpernens adamas, ſed aures
Ornet elenchus.
Pectore in ſummo geminæ vel unâ
Stent tegi palmâ faciles mamillæ,
Venulas paſsìm velutì ſmaragdos
Sparge virentes.
Mollis et plani cave ventris æquor
Ruga ne ſcindat vitietve nævus,
Nam meæ nondùm gremium puellæ
Partus aravit.
Nunc femur latum, femoriq; ſuras
Adde turgentes modicè, genuq;
Et pedes feſto ſolitos choreis
Plaudere ſaltu.
Jam ſatis. Tantùm ſupereſt tuendo
Quà licet longos ſatiare viſus,
Irritas heu quandò manus inanis
Ludit imago!
Res alit veras ſimulata curas,
Quæq; depicta eſt mihi nunc amica
Ut ſui deſiderium levaret
Illud adauget.

ODE

ODE NONA.

IN HORATIUM A CHRISTOPHORO LANDINO EDITUM.

VATES Threicio blandior Orpheo
Seu malis fidibus fiſtere lubricos
Amnes, ſeu tremulo dacere pollice
Ipſis cum latebris feras,
Vates, Aonii pectinis arbiter,
Qui princeps Latiam ſollicitas chelyn,
Nec ſegnis titulos addere noxiis
Nigro carmine frontibus,
Quis te è barbaricâ compede vindicat?
Quis vultu nebulas diſpulit, et ſitu
Deterſo levibus reſtituit choris
Curatâ juvenem cute?
Oh quam nupèr eras nubilus, et malo
Obductus ſenio! quam nitidos ades
Nunc vultus referens, docta fragrantibus
Cinctus tempora floribus!
Talem purpureis reddere ſolibus,
Lætum pube novâ, poſt gelidas nives
Serpentem poſitis exuviis ſolet
Verni temperies poli.
Talem te choreis reddidit et lyræ
Landinus, veterum laudibus æmulus,
Qualis tu ſolitus Tibur ad uvidum
Blandam teudere barbiton.

Nunc

Nunc te delitiis nunc decet et levi
Laſcivire joco, nunc puerilibus
Inſertum thyaſis aut fide garrulâ
Inter ludere virgines.

ODE DECIMA.

AD AMICUM, DE LESBIÆ PERFIDIA.

QUIS poſſit ulli fidere fœminæ?
Quis poſſit, ignem quum tua Leſbia
Suſpiret externum, et doloſo
Poſthabeat tua vota Gallo?
Promiſſa quonàm ſæpe abîit fides,
Et verba, quæ te ſuſtulerant Deos
Felicem ad ipſos? Quòve blandus
Ille oculus, gemituſq; in arctos
Ducens amores, unde pedem malè
Obnixus effers. I, bone, lachrymas,
I, ſimplicem jurare vultum,
Atq; comas tibi flore vinctas!
Quo gloriari jam ſolet hoc tamèn
Impune factum Leſbia non feret;
Experta mox artes amantis
Illa novi, veterem requiret.
Ulturus ille eſt, nil vereor, tuæ
Dolos ſceleſtæ perfidiâ pari;
Sunt, quos vocavit ſæpe teſtes,
Dî, memoreſq; ſuas repoſcent

Poenas:

Pœnas: ſed olim quum pede ſupplici
Ad te querelas flebilis offeret
Preceſq; mendax, nec querelis
Nec prece tu movearis ullâ.
Occaſionem quam tibi gaudii
Riſuſq; Divi tum tribuent cape,
Votumq; perſolvas potenti
Juſtitiæ, Nemeſique ſanctæ.

ODE UNDECIMA.

LAUS MEDIOCRITATIS.

AMICE felix oh ter, et ampliùs!
Aulæ nitorem qui paritèr fugis
Caſæque ſordes, invidendæ
Tecta colens mediocritatis.
Vulgi profanis cœtibus altior
Utcunquè magnis principibus minor;
Utrinquè tutus, nec ſecuri
Reſte nec interiturus ullâ.
Hâc arte littus Sicanium legit
Periculoſi navita Gurgitis
Contemptor audax, dum Charybdim
Hinc avidam fugit, inde Scyllam.
Hâc arte ſumptas Cecropius faber
Librare pennas novit in aëre
Impunè, nati dum procacis
Ala Deo propriore fluxit.

ODE

ODE DUODECIMA.

AD CONVIVAS AMICOS.

NOLIM purpureis fercula regibus
Et ponenda ſacro pontificum gregi
  Expectetis, amici,
    Parva pauperis in domo.
Non hìc nobilibus conditus amphoris
Langueſcit ſenio Bacchus, et abditos
  Sub fuligine multâ
    Annorum titulos tegit;
Non currit fragili per mare cymbulâ
Promus, Sicanii gurgitis intima
  Luſtrans, advena piſcis
    Largas ut decoret dapes
Expectante coquo, qui ter adulteret
Diverſis Superum dona ſaporibus,
  Averſiq; palati
    Laſſam ſollicitet famem.
Menſis hæc ſapiens linquit Ionicis,
Et quas perdita luxu Sybaris ſtruit,
  Quò condita venena
    Lanx argentea porrigit,
Quò frugi eſſe nefas, noxaq; non levis
Turpi diſſimilem vivere belluæ;
  Nos, quod regula recti
    Et conſtans ratio docet,

Ponemus

Ponemus modicis hunc epulis modum
Nil Natura negatum ut doleat ſibi,
Et convivia vitæ
Non illis ea ſerviat.

ODE DECIMA TERTIA.

AD CICADAM.

OH comis quæ populeis, cicada,
Inſides, roremq; bibis cadentem
Cœlitùs, ſoles nimiùm fugaces
Voce laceſſens
Improbâ, ne tu tenuis querelæ
Deſinas, rixæq; levis, volatu
Nempè quàm fas eſt properantiori
Præterit æſtas.
Jamq; brumalis grave frigus auræ
Gutturis claudens iter obſtrepentis
Franget exiles tibi delicati
Corporis artus.

ODE DECIMA QUARTA.

AD PARENTES.

FRUSTRA' juventam fingimus et bonas]
Laudamus artes ſi neq; debitis
  Præimus exemplis ſequacem,
    Nec dociles reveremur annos.
Damnoſa patrem ſi juvat alea
Sperare de ſe nil melius jubet
  Futurus hæres, ad fritillum
    Nunc loculis, poſitâq; tandem
Iturus arcâ. Nec patrimonia
Matura virgo non etiam geret
  Demiſſa collo, nec fluentem
    Non et Achæmeniâ perunget
Nardo capillum ſi genitrix pares
Induta cenſus ambulet, et comas
  Gemmiſq; nodatas et auro
    Vibret acu, balanoq; tingat.
Sic eſt, paternis cerea moribus
Aſſueſcit ætas; hâc ſequitur viâ
  Sive antecedentes Cethegos,
    Seu Curios videt, aut Catones.
Obſcœna vultur diripit ilia
Diſperſa campis; at neq; mitiùs
  Exercet ungues in cadaver
    Æmula progenies parenti.

Proleſq; Niſi non aliam rapit
Adulta prædam quàm rapuit pater ;
Igneſq; Phœbeos in ipſo
Ferre aquilæ didicere nido.

ODE DECIMA QUINTA.

POETAS ETIAM VITÆ MAGISTROS ESSE.

QUOD me camænas inter et vatum choros
Lauriq; odoratum nemus
Et Theſpiorum lene murmur fontium
Beata paſcant otia
Mihine quiſquam deſides vitæ dies,
Amice, labi dixerit ?
Hoc ſiquis auſit, noſq; non ſanos putet
Curas inutiles ſequi,
Illi nec Helicon nec ſacri pateant ſpecus,
Nec unda Permeſſi fluat,
Quam ni bibiſſet ipſa famæ ac nominis
Jaceret expers Græcia ;
Nec ſciret ætas ſera quæ vatum pater
Quæ cecinit Aſcræus ſenex
Documenta cedro digna, quæ primùm auribus
Animoque dein blandè incidunt.
In hoc laboro meq; in hæc ſacra abdidi
Plus uni ut ævo conſulam.

Nondumq;

Nondumq; natis audiar nepotibus,
Fructuq; non vano legar.
Mihi ipſe medeor, ipſe Apollineis lego
Succos et herbas collibus,
Quodq; uſus ipſe docuit ægroto mihi
Prodeſſe vates eloquor.
Audete, moneo, quæ dat et caſus rapit
Audete, quæ celant dolum,
Diſſentientes vulgi opinionibus
Cœloq; nati, ſpernere;
Boniq; ſpecie ſi quid oblatâ allicit
Inhibete pavitantes manum.
Quæ vos putatis dona fraudes Colchicas
Arteſq; Circæas tegunt.
Quid multa ſequimur? corpori exiguum ſat eſt
Animo imperanti ut pareat.
Famem cibus depellat, et potus ſitim,
Friguſq; non ſordens toga.
Quid intereſt an Appulo ſit vellere
Tyriumq; ahenum ſenſerit?
Quid intereſt ut ſolis æſtivi jubar
Nivemq; et imbres arceas,
Domumne ceſpes fortuitus extruat
An gentis alienæ lapis?
Non culmus aliter arcet hybernum Jovem,
Aliter lacunar aureum.
Nec ſi diurnis feſſa curis corpora
Nocturnus invitet ſopor
Aliter ſaligno lectus impoſitus pedi
Et mollis herbarum torus,

Aliter jacentem ſponda mulcet aurea,
Et tincta cocco ſtragula.
Sed multa luxus, multa ridendus labor
Stultos in uſus congerit;
Ad iſta vulgus interim arrectum ſtupet,
Creditq; per fas et nefas
Per et venena perq; fratrum funera
Quæri atq; ſervari benè.
Et illa rerum ſcena Fabricios prope
Curioſq; tranſverſos agit.
Quòd ſi iſta mecum cumq; poſteris loquor
Muſâq; convicti meâ
Parvo ſuoq; ſe beatos autumant,
Ridentq; quicquid ambitus
Aut incitatus ſperat, aut præceps timet,
Aut anxiâ tenet manu,
Mihine quiſquam defides vitæ dies,
Amice, labi dixerit?

ODE DECIMA SEXTA.

EXEQUIARUM CURAM SUPERVACUAM ESSE.

MULTUM ſcilicèt intereſt
Quo manes pretio ſub tumulos eant,
Et multum quibus oblinas
Succis et religes funera linteis

Non

Non ſenſura Canopici
  Hæredis vacuam laude ſuperbiam!.
Silentes tenebras petit
  Mors contenta loco quolibet, angulus
Jam regale palatium eſt.
  Quæ Natura parit functa recolligit
Communi gremio, neque
  Diſtinguit cineres terra noviſſimos.
Trunco ſex ſpatium pedum, et
  Cippus cum modico ceſpite ſit ſatis.
Faſtum cætera barbarum
  Spirant. Ipſa licèt contulerit ſuos
Sumptus India funebres
  Si non et pretio fama fragret ſuo
Fruſtra ſparget aromata.
  Buſtum Fabricii pauperis et Cato
Ploratuſq; Britannicus
  Haud nardum redolent, thuricremis tamen
Præſtant mille Neronibus.
  Virtus eſt feretri nobile balſamum.

ODE DECIMA SEPTIMA.

DE USU TEMPORIS ET SUPREMO JUDICIO.

IGNE qui terras recreat benigno
Flavus exacto ruit orbe Phœbus
Æquore intonſos properans Ibero
Tingere crines;
Sed ruit curſus iterare notos
Certus, excelſoq; redux Olympo
Cras vehet lucem, mihi non videndam
Forſitan ipſi.
Alta mortales etenim futuri
Cæcitas et nox ſuperurget atra,
Craſtinæ uſuram tribuant negentne
Sydera lucis
Inſcios; ergò, ſua quam fruendam
Cuique ſors præbet faciliſq; rerum
Rector inſtantem rapere occupemus
Fortiter horam.
Illa nam cœlo volucres reſignat
Ocyus pennas, benè quæ ſecùſve
Geſſimus magni ſolio referre
Prompta tonantis.
Qui gravem recti pariterq; pravi
Audiit cœlo bonus ut ſilente
Teſtem, in arcano jubet exarari
Codice cuncta.

Gente

Gente mortali ſuper hic recondit
Quæ quater ſenæ referunt ſorores
Ultimo demum reſeranda ſæc'lo,
Quum volet olim
Summus humanum genus omne judex
Nube ſublimis rapere ad tribunal
Non refellendum, meritis et æquus
Æqua rependet.

ODE DECIMA OCTAVA.

AD DIVAM VIRGINEM,

Propempticon venatorium pro Lecantu Radagiſio.

OH quæ Mænaliâ virgo potentior
Venatrice Deâ collibus accubas
Umbroſis et in omnes
Exerces pharetram feras
Sylvarum ſtudiis aſperioribus
Nutritum juvenem protege, qui canes
Cras educet in aprum
Majorem Calydonio.
Quot jam ſtravit equos bellua dentibus!
Quot vaſtavit agros, et ſata proruit!
Lugent damna coloni,
Et brutam metuunt famem!

Sed Lecanta modum ponet, et improbam
Crudelemq; gulam fortior Hercule
Quum venabula ſumpſit
Prompto funere porriget,
Multùm, Diva, tuis, ut memorat mihi,
Fidens auſpiciis, queis etiam tigrim
Barbatumq; leonem
Auſit cominùs aggredi.
Non is ſollicitis ambit Oreadas
Dianæ precibus; Taygeti Deæ
Cedant, flava Lycaſte, et
Sparſis Nebrophone comis;
Illi tu potior, cui viridem ſolet
In ſylvis petaſum ſternere præſidi,
Manè et veſpere pronus,
Et quum ſtat medius dies.
Fontes cervus amat, juniperum lepus,
Vulpes antra, favos Urſus, aper jugum,
Summas caprea rupes,
Te, Virgo, Radagiſius.

ODE DECIMA NONA.

PECCATA NON EXPIANTUR EXTERNIS RITIBUS.

NON odoratis tepefacta flammis
Ara, non taurûm pretiosa cœdes,
Uva nec libata Dei severam
Mitigat iram.
Splendidos odit nimis apparatus,
Odit impurâ data dona dextrâ,
Et preces veri lacrymasq; poscit
Signa doloris.
Talibus sacris animos misertus
Debiles jussit scelus expiare,
Talibus lætus facilem moveri
Applicat aurem.
Ille ni cultu hoc satis invocetur
Vitis infesto sterilescet austro,
Campus et latis nocuum dolebit
Messibus imbrem.
Quum tamen lævi mala tanta fati
Arceas solâ prece fabuloso
Numini demens pecoris cruorem
Offerat Indus.
Gratiam talis pretio paciſci
Muneris spernit Deus, et verendas
Impio ritu vetat inquinari
Sanguinis aras.

ODE

ODE VICESIMA.

SERAM POENITENTIAM INUTILEM ESSE.

QUID iſta vult miſerrima ejulatio,
Preceſq; ad averſum Deum?
Tandemne abactus conſcientiâ excutis
Oblivionem Numinis
Si fortè poſſis vocibus demùm piis
Tardare fatales minas?
Fruſtrà precaris, invocas fruſtrà Deum,
Non hoc rogatus tempore
Producet ævum, redditurus debita
Vitæ priori præmia.
Linquenda quid ſi largiare pauperi
Moriturus auri pondera?
Verâne prodit iſta liberalitas
Pietate, vel mortis metu?
Cur non eodem ſublevabas indigos
Sanus valenſq; munere?
Tùnc tùnc decebat, antequam manus tibi
Mors aſperas injecerat.
Non vota fundit quæ repentinus favor
Cœleſtia intrant limina,
Nec eluet brevis iſta ſupplicatio
Commiſſa tot piacula.

ODE

ODE VICESIMA PRIMA.

IN LAUDEM CONSTANTIÆ.

QUISQUIS compositâ mente volubilis
Fortunæ varios non timet exitus,
Et virtutis iter dum terit arduæ
Fatum sub pedibus premit,
Hunc nec terrificis Ætna fragoribus
Eructans scopulos, nec minitantia
Celsis excidium fulmina turribus
Insano quatiunt metu.
Talis marmoreæ grandinis impetum
Invicto Stephanus pectore sustinet,
Et sævis Dominum parcat ut hostibus.
Blandâ sollicitat prece.
Talem magnanimo corde furentibus
Vidit Roma senem occurrere belluis,
Vidit suppositis ignibus excoqui
Constanti juvenem fide.
Qui tot suppliciis insuperabilem
Expirans animum, nec querulos dolens
Emisit gemitus, indecori neque
Turpavit lacrymâ genas.
Verùm purpureas ceù premeret rosas
Non flammas teneris pasceret artubus
Tortorem potuit lætus in impium
Sævo ludere cum joco.

Quid

Quid cunctaris? ait; sat mea fervido
Sunt assata foco membra, calentia
Cur non exta voras, tostaq; protinùs
Costis tergora diripis?

ODE VICESIMA SECUNDA.

CANTICUM SIMEONIS.

HUJUS usuram, Deus alme, lucis
(Quod bonâ fiat venià) resigno,
Post tot ætatis tibi mancipatos
Hactenùs annos.
Nox meis posthâc oculis suprema
Grata continget, quibus annuisti
Pignus æternæ priùs intueri
Posse salutis;
Sanctus humanâ quod amor figurâ
Vestiit, solers hominis Deiq;
Pace naturas stabili novoq;
Jungere nexu.
Scilicet cunctis populis ut esset
Obvius nec difficilis parari
Qui laborantes ope sospitator
Servet amicâ.
Lumen oh quantum venit universis
Gentibus; pluris tamen æstimanda
Surgit Israëligenis tuæq;
Gloria plebi.

ODARUM

ODARUM LIBER SECUNDUS

ODE PRIMA.

CAROLI SECUNDI REDITUM ET EJUS REGNI VITIA INSECTATUR.

UNDE corruptos memorem ruentis
Sæculi mores habuiſſe cauſam?
Unde virtutis perit, et Deorum
Debita cura?
Fortium non ſic pia gens avorum
Crevit anguſtis animoſa rebus,
Otio non ſic malè diffluentes
Perdidit annos.
Quum triumphato ſuper hoſte victrix
Diva Libertas ſua ſigna fixit,
Impii Regis feriente juſtâ
Colla ſecuri.
Aſperæ tum plebs ſtudioſa vitæ
Spiritu luxum pepuliſſe parco
Auſa, nec faſtus procerum, nec Aulæ
Crimina novit.

Priſtinæ

Priſtinæ ſed quid grave ſervitutis
Profuit nobis ſuperâſſe pondus?
Servitus creſcit nova, nec minori
Brachia nodo
Alteræ jam dedecorant catenæ!
Nec ſat antiquæ docuere clades,
Bella nec tot nos lacrymoſa nullum
Ferre tyrannum.
Nonne, præ cunctis mihi cara tellus,
Non vides quanto teneas peric'lo
Arte perjuri patris eruditum
Fallere natum?
Publicis quanquam caput obligavit
Perfidum votis, ego quid ſit ater
Caroli novi finus, et latentes
Pectore fraudes.
Hinc mali labes tibi fluxit omnis;
Hinc pudor, verum, pietas, fideſq;
Jam profanatæ fugiunt relictis
Sordibus aulæ.
Civitas olim ſapiens, et æqui
Simplicis cultrix, veneranda patrum
Jura contemnit, vitiiſq; fertur
Lege ſolutis.
Interim genti malè feriatæ
Imminens, certos meditatur ictus
Mors, venenatis gravida ſagittis
Cincta pharetrâ.

Hia

Illa ſe cœlo nimiùm querentî
Jactat ultricem, mediâq; ſævit
Urbe, non gemmis neque purpura pla-
canda nec auro.
Oh tuis nondùm ſatiata prædis,
Ecce, quem vitæ ſaturum reducto
Ocyùs cornu feriens, avltis
Manibus addas.
Diva quid ceſſas? nec adhuc feroci
Dexterâ pectus benè præparatum
Liberi ſternis, miſeras precantis
Linquere terras?

ODE SECUNDA.

IN LIBERTATIS AVITÆ PRODITORES.

TANDEM ſurge, nec ampliùs
Indignæ ſceleri, Muſa, Britanniæ
Fœdo parce ſilentio.
Aures carminibus pandite vos, quibus
Libertas nihili patrum
Tanto quæ proavis ſanguine conſtitit.
O! Cives malè liberi,
Donum binæ opibus ditius Indiæ
Ultrò perdere quis furor?
Includine ſinet ſe crate ferreâ

Ultrò

Ultrò magnanimus Leo?
  Seſſorine libens terga dabit ſuo
Et frœnos equus induet?
  At non crediderant hoc malè præſcii
Majores paritèr face
  Sperantes ſimili pectora fervere
Natorum, quibus heu gravis
  Torpor corda ligat, quos generis pudet
Nolentis dominos pati.
  Quo Brittanne ruis? ſiccine regios
Faſtus tu placidè potes
  Iratiq; minas ferre ſupercilî
Cui quondam domitus feri
  Submiſit capitis cornua Carolus,
Immaniſq; ſuperbiæ
  Altum dedidicit tollere verticem?
Sed quid profuerit tibi
  Hoc jactaſſe decus, ſi modò non negas
Servire atq; tuum malum,
  Deſperate, foves? Ocyùs ocyùs
Damno non reparabili
  Pulchro jure patrum degener excides,
Venaliſq; probrum notæ
  Perjurus timidâ fronte geres nepos.

ODE

ODE TERTIA.

AMOR PATRIÆ.

PATRIÆ desiderium remotæ
Excitat ponti furor insolentis
Quum rates lassæ crepitant, aratq;
Æquora ventus.
Patriæ, apricis licèt unda terris
Rideat, puros licèt aura soles
Præbeat, carum resonare discunt
Carbasa nomen.
Crescit instinctu patriæ cupido
Dirigens ipsâ ratione major
Corda, nec fati arbitrio vigorem
Perdit, iniquî
Sorte nequaqam minuenda cœli;
Hinc vel arridet nivibus laborans
Terra concretis liquidoq; duræ
Flumine crustæ.
Torrida hinc Phœbi proprioris igne
Africa, incassùm negat imminentum
Otia umbrarum, querula aut fugacis
Murmura rivi.
Indiæ quin multicolor propago
Barbaros cultus amat; hùc et illùc
Nescio quâ lætitiâ pererrans
Avia rura,

Rura fœcundæ Cereri negata,
Incola exquirit lapidoſa corna
Splendidé pauper, bibit et ſalubris
Pocula lymphæ.
Quà gelu albeſcit Nova Zembla nudâ
Calce Venator ſuperat nivales
Montium tractus, et inhoſpitalis
Lubrica collis:
Pone quà dulci tumet uva vino,
Lætaq; æſtivus juvat arva Phœbus,
Patrii conſtans ſibi flagitaret
Aſpera cultûs.

ODE QUARTA.

NATURÆ QUERELA ADVERSUS HOMINES INGRATOS.

NUPER ad fontem vitreum ſedenti
Forma mortali mihi viſa major,
Celſa turritum caput, alba crines,
Nuda mamillas.
Scribe clamabat, mea cura, vates,
Scribe contemptæ ſacra te momentis
Jura Naturæ, memorique fago
Sculpe querelam.

Quid

Quid petis, terræ male ſana proles?
Quid diù rebus vetitis inhærens
Vota ſucceſſu caritura ſurdas
Fundis in aures?
Hic rogat pennas, alius natatum
Dædalo prefert, agiliq; ceræ,
Ille cornicis tria poſcit annos
Sæcula paſſæ.
Diſce qui plumas humeris et ungues
Poſtulas plantis, jaculantis arcu
Semper adverſo celerive plumbo
Deniquè figi.
Ire qui rivis pelagoq; ſubter
Eligit, lino calamoq; falli
Diſcat, et captis agitare fruſtrà
Retia pinnis.
Diſce cervinæ cupidus ſenectæ
Præda venantis fieri canumq;
Luſus, et ſævas hyemes ſitimq; et
Cornua ferre.
His frui junctis tibi jam licebit:
Quæ ſimul junxi male ſeparantur;
Quod negat Natura velis quietâ
Mente negatum.
Impios poſthàc cohibete queſtus;
Siquis accepto benè novit uti
Dante me cunctis licet eſſe lætis,
Eſſe beatis.

ODE QUINTA.

ISAIÆ CAP. DEC. QUARTI PARAPHRASIS.

ERGO quieſcit prorsùs? et aurea
Urbs ante victis gentibus imperans,
  Cunctiſq; formidata tandem
    Funditùs occubuere regna?
Hoc ira læſi numinis hoc manus
Suprema fecit, docta tyrannidis
  Frænare vires, et furentis
    Imperium cohibere ſceptri.
Ipſe inſolenti nunc vice cogitur
Perferre miſtas verberibus minas
  Qui ſubjugatorum feroci
    Terga priùs lacerabat ictu.
At tota longis libera cladibus
Tellus tyranno nunc colit otium
  Cæſo, triumphatâq; cantat
    Lætificum Babylone carmen.
Nunc gaudet altum tollere verticem
Secura pinus montibus arduis,
  Cedriq; frondentes opacis
    Aſtra petunt plataniq; ramis;
Simulq; tali ſcommata cum joco
Acerba fundunt, ‘ Te modo nòn venit
  Jacente noſtras amputatum
    Ulla comas virides bipennis.’

Orcus

Orcus recluſis ſceptrigeros ciens
Manes ſepulchris ilicèt obviàm
Exire cunctos juſſit, atq;
Fata tibi properata Reges
Ridere furvis ſedibus excitos.
Dixere ‘ Num te nox eadem premit ?
Te funeratum ? Tene nobis
Mors ſimilem truculenta fecit ?
Caliginoſam quum peteres Styga
Lugubre carmen num tibi barbitos
Pulſata dixit ? num potentis
Imperii gemuere caſus
Triſtes Camænæ ? Te modò vermium
Effuſa circum fœda tegit cohors,
Stratoq; lumbricis cubili
Turpe jaces putribus cadaver !
At tu coruſco ſydere pulchrior
Nuper micabas, quod rutilum nitens
Pulſis renaſcentem tenebris
Mane diem docet imminere.
Si fortè quiſquam præteriens videt
Jacentis artus attonito diù
Stat ore defixus ſilenſq;
Lumine dum propiore vultus
Tuetur eheu diſſimiles ſibi
Spectator anceps. Siccine, mox ait,
Mutatus ille eſt qui ſubactum
Marte fero populatus orbem
Paſsìm per urbes ruraq; ſanguine
Fœdata multo ſæviit improbus

Vaſtator, et reges perenni
Carcere continuit revinctos.
Illos paterni nunc tegit hoſpita
Moles ſepulchri; te neque pulvere
Quiſquam nec imponit quietâ
Exanimem miſeratus urnâ.
Ventura nullos quippe dat impiis
Ætas honores. Tum ſimul occidet
Extincta proles ne labantis
Imperii relevare faſces
Poſſit ſuperbos: Hoc Deus agminum
Dico potentûm, me Babylon ruet
Ducente victrices catervas,
Nominis illa decus prioris
Flebit reciſum, culminibus cadent
Dejecta ſummis mœnia, nec mora
Patreſq; natoſq; et nepotes
Excidio properante perdam.
Hìc luſtra ponent et catulos feræ,
Hìc fœda nigris unda paludibus
Stagnabit, obſcœnæq; raucâ
Voce ſtrepent avium cohortes.
Hoc ipſe juravi arbitriis rego
Qui cuncta ſummis. Corruet hoſtium
Pubes triumphatrix, ſuoq;
Abramidum ſcelerata campos
Cruore tinget. Sic volui Deus,
Leges volentis vertere quis poteſt?
An robur exertumq; dextram
Quis melior Superum retundet?

ODE SEXTA.

PARAPHRASIS EX HORATIO.

HEU ! quot infauſtos geminabit annos
Roma civili ſcelerata bello,
Virium demens ruitura tandem
Mole ſuarum !
Quam nec antiqui domuere Marſi,
Porſenæ quam nec manus Allobroxve
Fregit, aut Pæni nimiùm ferocis
Æmula virtus
Vile nos ipſi genus et nepotes
Impii diro penitùs tumultu
Vertimus, rursùs catulis ferarum
Antra daturi
Per domos urbis miſeræ crematas !
Inſolens eheu ! inhumata victor
Ungulâ calcabit eques Quiritum
Oſſa ſonanti !
Quippe nos urget quoq; non merentes
Principis crimen grave fraudulenti,
Et Remi fuſum luimus ſceleſto
Fratre cruorem.

ODE SEPTIMA.

IN MAGOS CHRISTUM ADORANTES.

ALMA Lux, ſalve! precibus piorum
Semper et feſto celebrata cultu,
Quâ trium Chriſtus pretioſa cepit
Munera Regum.
Primus hærebat reputans an ille
Pauper et pannis malè tectus infans
Rex foret cœli, dominuſq; rerum
Orbis ab ortu.
Sed memor vatum, memor et locorum
Unde ſperabant populi ſalutem
Quid moror? dixit, nihil ambigendum
Stella relinquit.
Quæ priùs nobis iter indicabat
Nunc ſupra cunas tuguriq; culmen
Fixa conſtitit, veluti peracto
Functa labore.
Fatus hæc ſacram capitis coronam
Quam ſibi multo fabricârat auro
Detrahit fronti, puerоq; regi
Donat habendam.
Alter, infantis niveam oſculatus
Dexteram, myrrhæ lachrymas amaro
Cortice expreſſas dat, et ore promit
Triſtia dicta.

Qui

Qui tuis, Virgo, benè dormit ulnis
Hic puer vitæ patiens acerbæ
Mox probris miſtas alacri ſubibit
Pectore pœnas.
Sauciam ſpinis alapiſq; frontem
Saucium ferro latus et flagellis
Sentiet, donèc cruce fixus altâ
Denique pendet.
Has Magus voces ubi protuliſſet,
Totq; fixiſſent gladii parentem,
Tertius, plenam quatiens acerram,
Thura cremavit.
Utq; maternos aliquâ dolores
Parte leniret, ‘ jubilemus, inquit,
Virginum Princeps, etiamq; major
Gloria Matrum.
Bis ſacrum Titan oriens ſepulchrum
Cernet immotum, vigiles jacebunt
Propter armati, tamen ille victâ
Morte reſurget,
Surget æratos obices et Orci
Clauſtra perfringens, poſitâq; liber
Carne cæleſtes ſibi vindicabit
Rurſus honores.
Talis hyberno coluber ſub antro
Triſte deponit ſenium, breviq;
Aureâ ſquamâ viridiq; tergo
Flammeus exit.

Talis

Talis extremæ propior ſenectæ
Læta componit ſibi buſta Phœnix;
Mox odoratâ volat e flavillâ
Alter, et idem.

ODE OCTAVA.

PSALMI 144 PARAPHRASIS.

ORA quæ pridèm tibi conſecravi
In tuas ardent, Deus, ire laudes,
Et manus quæ te dociles magiſtro
Horrida primùm
Arma traſtarunt modo mitioris
Ad lyræ dulcem revocantur uſum,
Par tuo, ſi fas erit, ut reponam
Carmen honori.
Te canam rerum decus oh mearum!
Oh Salus, oh Spes! mihi perduelles
Sub jugum mittens minùs obſequentem
Subdis Idumen.
Quî ſit ut parvos ad homunciones
Tantus accedas Deus; ut favore
Ut tuâ dignos Pater arbitreris
Optime curâ?
Umbra mortales fumus, aut inani
Vanius ſi quid reperitur umbrâ,
Nos tamen gaudes miſeros relicto
Viſere cœlo.

Euge,

Euge, declivi mihi lapſas æthrâ
Et procelloſis Boreæ quadrigis
Vectus, hùc felix ades, hùc tonantem
Dirige currum.

Te ſuper ſummos equitante montes
Ignei fumabit apex Orebi,
Et coruſcanti pluet imbre diros
Fulmen in hoſtes.

Brachio vindex ſcelerum rubenti
I, Paleſtinas jaculare turres;
Barbarus paſsìm tibi terga prædo
Vertet inaudax.

Cernis Hebræo Syrus ut colono
Miles inſultet? ſua fœderatus
Arma cui pactis ſociavit Ammon
Nuper iniquis.

Hi tuum bello famulum laceſſunt
More torrentis violènter undæ,
Me Pater tutum tua ſoſpitatrix
Dextera præſtet.

Tunc novum, ſiquid mea plectra poſſunt,
Ad tuas hymnum modulabor aras,
Teq; biſquinis memorare diſcent
Nablia chordis.

Ut tuâ Reges ope roborentur
Ordiar grato memorare cantu,
Nec bonæ, quam tu dederis, tacebo
Commoda Pacis.

Quanta

Quanta Judæas referam per urbes
Ludat exultim plateis juventus,
Ut frequens proles obeat paternam
Veſpere menſam.
Melle decurrunt oleoq; rivi,
Horreum pergunt cumulare meſſes,
Et mero largè locuples redundat
Cella quadrimo.
Non gregem novit numerare Paſtor
Manè balantes comitatus agnos,
Et recondendis queritur deeſſe
Vimina lanis.
Lætà per Bethles ſata tollit hinnitum
Aptus ad fruges equus evehendas,
Et boves vincunt gravîdo capacem
Ubere mulctram.
Otio felix perhiberis iſto,
Te tamen, Judæa, beatiorem
Dixerim longè quòd habere numen
Detur amicum.

ODE NONA.

MORTIS HORAM ET MODUM INCERTUM ESSE.

QUID te præcipitem juvat
Vitam ſollicito frangere tædio?
Quid metas homini datas
Heu! demens ſtudio quæris inutili?

Vanis

Vanis parce laboribus,
Curis parce nihil proficientibus.
Leti dura neceſſitas
Et ſuprema dies non penetrabili
Obductæ nebulâ latent.
Votis Dî faciles ſi faveant tuis
Inſanæq; cupidini,
Damnatus miſero munere protinùs
Mutatâ prece poſtules
Iracunda Jovem dona reſumere,
Expertuſq; periculum
Permittes Superis conſiliantibus
Res expendere quid tuas
Aucturum tribuant utile; carior
Illis eſt homo quàm ſibi.
Annos I potiùs fortiter occupa,
Ævo dum licet utere;
Sertis cæſariem necte virentibus,
Et nardo madidus comas
Effundas pateris nectar ab aureis
Feſto non ſine carmine.
Umbrâ ſub gelidâ, urente meridie,
Dum ſol imminet igneus,
Indulge genio, funeris immemor.
Nunquàm quod caveant ſatis
Cautum eſt terrigenis; implacidos maris
Fluctus Navita, prœlium
Miles quiſque pavet, non aliò timens
Cœcus fata, ſed horridæ
Improviſa necis vis populos rapit.

ODE

ODE DECIMA.

AD LÆLIUM.

CUR vanis malè credulum
Irretire animum pergis amoribus
Fortunæ toties fidem
Expertus nimiùm fallere lubricam?
Tandem define vitreâ
Insanire Deâ, quam cupidè simùl
Amplexaberis insolens
Mœrebis laceras flebilitèr manus.
Felix vulnere si tamen
Tantillo monitus præcipiti caput
Fracturam tibi ponderè
Maturè fugias. Hesperio licèt
Sublimis solio feras
Per centum populos jura; nec unicus
Orbis te dominum colat,
Lælì, degeneres ni spatiosiùs
Regnare ambitio, et suæ
Par quæsisse decus certet origini.
Villæ culmina sordidæ
Mirari pudeat quem socium Deus
Æterni vocat imperì
Et sperare jubet sydereas domos.
Hanc, Lælì, pete regiam
Oblitus tugurì cui miser incubas,
Et Divûm propera genus
Sceptrum depositò sumere sarculo.

ODE

ODE UNDECIMA.

AD PACEM.

VIRGO, funeſtis inimica bellis,
Flecte candentes, bona Pax, jugales,
Et beatorum radiata divûm
Atria linque.
Te nimis duro data præda Marti
Poſcit Europe, tibi vota Gallus
Vota certatim tibi mille ſupplex
Fundit Iberus.
Sponte concordes tibi ponit aras
Potor infidi Thameſis Britannus,
Quiq; captivos Batavus flagellat
Molibus amnes.
Te vocant Iſtri domitor Sicamber
Et ſubalpinîs gelidus pruinis
Allobrox, et quem Tagus invidendâ
Ditat arenâ.
Jam ſatis flammâ populante diros
Hoſtis infeſti tulimus furores,
Et ſuperfuſo maduere pingues
Sanguine campi.
Sæva non uno Libitina telo
Civibus mæſtas viduavit urbes,
Stravit et paſſim vacuo ſepultos
Rure colonos.

Nunc

Nunc ubi vernos Zephyrus tepores
Cogitat pulsâ revocare brumâ
Prope formosum caput, et jacentes
Respice terras.

Vince discordes animos potentum ;
Arma deponant, neq; cæcus ultrà
Obstinet regum furor immerentes
Perdere gentes.

Audior. Jam se nitidus reclusit
Luce cum multâ polus, ora summo
Exeris cælo, Dea, sospitali
Candida fronte.

Spiceus crines tibi nexus ambit,
Fertili turget manus una cornu,
Alteram fauste modò lectus implet
Termes olivæ.

Pulchrior nunquam croceo refulsit
Quæ renascentem vehit axe lucem
Diva quum primo viride inaurat
Lumine campos.

Jam verecundi sine felle risus,
Jam fides, et fas, metueusq; fraudis
Candor, et comis reddit innocentum
Turba jocorur

Mox viro conjux genitrixq; nato
Læta post multas hyemes recepto
Gestient plenis tibi grata ferre
Serta caniſtris.

Te

Te ſub argutâ reſupinus ulmo
Concinet molli Corydon cicutâ,
Nec ferox unquam diuturna Mavors
Otia rumpet.

ODE DUODECIMA.

AD GERMANOS, UT PACEM OBLATAM ACCIPIANT.

GERMANE, quis te Martis agit furor?
Dum tota pacem jungere mutuam
Europa feſtinat cruento
Heu! nimiùm ſatiata ludo
Tu pertinaci difficilis morâ
Sperata differs non benè gaudia,
Amaſq;, ſi poſſis, honeſto
Vulnera diſſimulare faſtu.
Parumne campis et pelago ſuper
Fuſum eſt cruoris? Fervet adhuc Moſa
Tardas peremptorum per undas
Scuta virûm galeaſq; volvens.
Rhenus bicorni victus in alveo
Et Luſa, et alto ſanguine pinguior
Steenkircha, Nervindæq; valles
Indomiti rabiem Gradivi
Senſere, latè dum trepidantia
Formidoloſus diruit oppida,
Iræq; et inſani tumultus
Circum equitant, feritaſq; torvam

Contracta frontem. Define publicos
Fovere luctus, gaudium et otia
  Permitte, defunctamq; longo
    Exilio remeare pacem.
Regnet quietis candor in urbibus
Et læta cornu divite Fauſtitas;
  Atq; inter armorum minaces
    Relligio male tuta motus.
Sin bellicoſi prodiga ſanguinis
Virtus inerti non finit otio
  Ceſſare lentos, ite, pulchram,
    Auſtriadæ, properate mortem.
Ite, et retuſum contra Othomanidas
Diffingite enſem, et Marte vel in truci
  Pii nepotes inquietos
    Sanguine ſacrilego parentum
Explete manes, qui miſerabili
Deſerta queſtu littora perſonant,
  Dolentq; Byzantina nondum
    In cineres abiiſſe templa.

ODE DECIMA TERTIA.

PARAPHRASIS EX HORATIO.

PERFIDUS raptam freta quum per Helles
Paſtor Idæis traheret carinis
Tyndari natam ſiluere fracto
Impete venti
Fata dum Nereus caneret ſiniſtra.
' Ah! miſer, dixit, Jove non ſecundo
Quam rapis multo repetent furentes
Milite Graii.
Hi tuos unà thalamos vetuſq;
Eruent regnum Priami parentis,
Quot viris cerno quot equis graves in-
ſtare labores!
Heu! moves quantas Patriæ ruinas!
Jam parat currus, fera jam minaces
Caſſidis criſtas quatit, et tremendam
Ægida Pallas.
Præſide incaſſum tumidus Dione
Fœminis gratos fide molliori
Divides cantus, dirimeſve flavos
Pectine crines.
Sæva, quæ neſcit placidum cubile,
Arma quantumvis fugias, citumq;
Inſequi Ajacem coma collinetur
Pulvere tandem.

Impiger bigis bonus atq; pugnâ
Non vides ut jam Sthenelus Pyliq;
Urgeant te Rex, Ithacuſq; peſtis
Certa tuorum.
Hinc noti proles Salaminiuſq;
Ingruit Teucer, tibi patre magno
Inde Tydides melior per omnem
Inſtat arenam.
Pectore hunc mollis fugies anhelo
Ceu lupum cervus, procùl in remotâ
Parte ſi vallis videat, relictâ
Aufugit herbâ.
Ilii quamvis remorata cladem
Ira Pelidæ fuerit ſuperbi
Flamma devotas inimica tandem
Hauriet arces.

ODE DECIMA QUARTA.

AD SOMNUM.

MANSUETE mortis frater, eburneæ
Dynaſta portæ, non niſi palpebrâ
Labente tranquillaſq; clauſis
Per tenebras oculis vidende,
Curas

Curas potentem demere mentibus
Hùc, Somne, virgam mitior admove,
  Dulciq; decumbentis artus
    Rore ſoporiferiſq; Lethes
Aſperge ſuccis : jam tacuit canis,
Jam muta Progne ſub trabe conditur,
  Glebiſq; laſſati terendis
    Curva boves referunt aratra.
Quid lentus hæres ? quid, placidiſſime
Dîvûm, moraris ? Dic, ſine te tuæ
  Cur noctis elabuntur horæ ?
    Somne veni, tibi ſic frequentèr
Criſtata detur victima, ſic tibi
Dilecta noſtris plura papavera
  Creſcent in hortis, nec notorum
    Flamina, nec Boreæ furentis
Rumpent quietem, ſed fuga rivuli
Juxtà querentis mollitèr obſtrepat,
  Et lenis audiri ſuſurrus
    Sub platano trepidantis auræ.

ODE DECIMA QUINTA.

SPES te perpetuò decipiant tuæ
Qui formæ comitem ferre ſuperbiam
  Centenamq; repulſam
    Leni pectore quiveris.
Nobis ſi Dominæ vox ſemel arrogans
Inclementis ‘ abi,’ dixerit, ibimus,
  Nullâ dein prece, nullo
    Fletu dein revocabiles.
Fruſtrà callidior flectere plurimis
Tentârit profugum gnaviter artibus,
  Qualeſcunque movebit
    Spernam conſilii tenax.
An me difficilis Janua viderit
Nocturnas hyemes et glaciem pati
  Multo non ſine riſu,
    Plenâ dives ut in domo.
Ludit cum ſociis illa bibentibus?
Quid ſi cæruleâ pulchrior Iride
  Cunctas audiat inter
    Formoſiſſima virgines?
Atqui non ego te quolibet, optima
Libertas, pretio vendiderim benè,
  Jus vitæq; neciſq;
    Unam te penes eſt meæ.

ODE DECIMA SEXTA.

QUALIS remoto fulta roſis Venus
Procumbit antro, nec cohibet vagos
  Jam vitta crines, nec fluentem
    Zona ligat reſoluta veſtem
Talis cubili compoſito jacet
Formoſa Phyllis, quum juvenis ſui
  Suſpirat amplexus, et horas
    Increpitat nimiùm morantes.
Languens ſiniſtram defluit in manum
Cervix, reflexum dextra premit femur,
  Pectus ſed incautum et retectas
    Faſcia deſtituit papillas.
Oh ter beatum cui caſido ſuper
Feſtiva lecto prælia deſtinat!
  Cui fata concedant in iſtâ
    (Dulce decus) periiſſe pugnâ!

ODE DECIMA SEPTIMA.

DE LAUDE.

VIRGINES, quarum juvenes protervis
Ictibus junctas quatiunt feneſtras,
Quid ſuper formâ potiore rixas
Nectitis ultrà?
Invidæ litis, precor, abſtinete;
Deliam ſi quæ ſtudet emulari
Protinùs Divas eadem profanâ
Voce laceſſat.
Vos quidèm multis redimita gemmis
Turba nocturnas agitis choreas;
Illa nec circo nec inertiori
Viſa theatro
Simplici prodit placitura cultu,
Nec genas tingit minio, nec auro
Impedit crines, agitatve pictas
Vertice plumas.
Sedulos odit pudor apparatus,
Diſplicent ſpiſſæ populi coronæ,
Nec tuas vano petis indè faſtu,
Delia, laudes.
Cæteræ ſponſos nimiùm protervo
Poſtulant vultu, tibi ſingulari
Dote conceſſit Deus eſſe mitem,
Eſſe modeſtam.

Oh mihi longos utinam per annos
Plebe ſecreto liceat profanâ
Liberam mavis ubicunq; tecum
Ducere vitam.
Poſt ubi ſeri revolutus ævi
Terminus mortem tulerit propinquam
Una nos condat gelidos eodem
Hora ſepulchro.

ODE DECIMA OCTAVA.

AD LEONORAM.

QUI tuos nondùm, Leonòra, vultus
Vidit, infeſtos nimiùm videntí,
Corde ſecuro puerile ſpernat
Numen amoris.
I, tuis, dicat, jaculis columbas
Fige, vel de paſſeribus triumpha,
Iſta nimirùm magis apta parvæ
Prœlia dextræ.
At miſer quantâ face mox crematus
Verba jactantis maleſana linguæ
Flebit, uniuſq; dabit puellæ
Lumine pœnas
Quas puellarum chorus omnis et quas
Fama contemptæ Veneris popoſcit,
Et tuis multâ prece ponet aris
Thura, Cupido.

ODE

ODE DECIMA NONA.

CLAUDE jam libros: age, pertinaci
Fixa quid ſemper ſtudio fatigas
Et brevi durus nimis ægra fraudas
Lumina ſomno?
Ecce tranquillo ſuper axe nictat
Urſa nocturnos vigil inter ignes,
Vix regit plauſtrum ſua vix retentat
Lora Bootes.
Tu tamen perſtas oculis amicum
Improbus ſomni prohiberè munus,
Munus ah gemmis rutiloq; poſci
Dignius auro.
Conditos ergo tibi credis artus
Stare vel ferro metuente frangi
Caute vel durâ, ſolidoq; plenas
Ære medullas?
At parùm firmos habitat penates
Illa pars noſtri melior ſciendi.
Quam ſitis torret, volucremq; corpus
Degravat impar.
Nec licèt veri ſtudioſa celſas
Unde demiſſa eſt ſpeculetur arces
Intimas rerum penetrare ſperet
Lyncea partes.
Summus obſcuram Deus ipſe nubem
Objicit rebus, neq; cuncta cunctis
Scire permittit, neq; cuncta quovis
Tempore profert.

Multa

Multa quæ fruſtrà petimus beatis
Sponte ſe pandent animis nepotum ;
Multa quæ nobis patuere patrum
Neſciit ætas.
Proinde tu tanti cupidas laboris
Mitte ſis curas : fuge ſuſpicari
Si quid ignores ſcelus eſſe dirâ
Morte piandum.
Quamlibet longos geminare tendas
Noctibus ſoles, neque tu ſciendum
Quicquid eſt diſces, neq; non legenda
Plura relinques.

ODE VICESIMA.

AD MAGDALENAM SCUDERIAM.
Cui flores acu pictos miserat.

FESTO Magdalidos die
Quem fecit proprium Rolligio tibi
Flores, Scuderis, offero.
Non quales Zephyris ver revocantibus
Quum tellus aperit ſinum
Aprilis tepido ſydere parturit,
Doctæ progenies acûs
Inter virgineos prodigialitèr
Enati digitos aquæ
Non poſcunt riguæ pocula, ſeduli

Non

Non cultoris egent ope.
  Quin ſpernunt hyemes, et rabiem canis,
Et triſtes Boreæ minas.
  Felices nimium ſi tibi ſe probent
Illis floribus æmuli
  Sparſos carminibus quos legimus tuis.

ODE VICESIMA PRIMA.

MORTALES FRUSTRA DEIS OBLUCTARI.

QUID molimur inanibus
  Mortales ſtudiis certa minantium
Fatorum obruere ordinem?
  Norunt Fata viam: non clypei jubar
Telorumq; volantium
  Tempeſtas gravis aut murus aheneus
Divis objiciet moram.
  Adverſus Superos perdis inutilem
Ridendamq; potentiam
  O imbellis homo! nec Borealium
Quantumvis levium valens
  Ventorum graciles ſiſtere anhelitus,
Undarumve licentiam
  Nequicquam oppoſitis ſtringere molibus!
An tu lucida currere
  Reris poſſe tuis ſydera legibus?

Quando

Quando numine pro tuo
Subduxit radios Cynthius aureos,
Aut velocior improbas
Festinis hyemes abscidit ignibus?
An te populus arbitro
Aut oraus virides induitur comas?
Cur non dumus habet nuces
Aut uvas coryli pomaq; fraxinus
Si te judice germinant?
Fontes lacte fluant, flumina Massico,
Aurum rupibus indue,
Aut, quod fortè leve est, ponat aculeos
Mellis sedulus artifex.
Hæc si tu nequeas debilis ingenî
Imbelliſq; potentiæ
Quin de stultitiâ demis, et ordini
Divûm non violabili
Decretisq; poli subjiceris minor.
Quod cœlo placitum fuit
Hoc votis hominum corrigere est nefas.

ODE

ODE VICESIMA SECUNDA.

DEBBORÆ CARMEN EUCHARISTICUM.

VOS quibus multo capitis peric'lo,
Iſaci ſanguis, ſtetit iſta laurus,
Numini mecum bona grātulantes
Dicite verba.
Principes Regeſq; favete linguis
Maximus dum mî Deus optimuſq;
Dicitur, qui res voluit ſuorum
Ire ſecundas.
Scir intonſus Paraniq; vertex
Feſtis eſt quâ vi quibus ultor armis
Hùc avos olìm Deus e Canopi
Tranſtulit arvis.
Non Idumæi potuere montes
Illius præſens tolerare numen,
Fluxit et tanto tremefactus impar
Sina calori.
Rector Hebrææ, Deus alme, pubis
Ceſſerit noſtris modo quod Jabinus
Copiis hoc eſſe tui fatemur
Muneris omne.
Non enim Samgar potuit cavere
Ne vias hoſtis Syrus obſideret,
Et jugum ſegnes Abrahæ doceret
Ferre nepotes.

Proh

Proh pudor ! gentis malè feriatæ
In quaterdenis nequit inveniri
Millibus vir qui clypeum capeſſat
Ullus et haſtam ;
Debboram donec Deus advocaret
Imperî rebus propè corruentis ;
Fæminæ partes dedit Iſraelis
Probra piandi.
Debitas ergò Domino referte
Principes Judæ, mea cura, grates,
Aleam quotquot ſubiiſtis hujus
Sponte duelli.
Verſa narrentur Chananæa retrò
Arma, et obtriti ſubitâ ruinâ
Siſaræ currus, tumidoq; merſum
Agmen in amne.
Inter Heroas mihi jure princeps
Hùc ades regum domitor, Barace,
Te catenatus gradiatur ante
Hoſtis ovantem.
Nec meis indictus erit Camænis
Benjamin, pulchræ ſoboles Rachelis,
Præliis audax, Amalechiorum
Nuperus horror.
Debet acceptam quoq; plebs ſalutem
Ferre præſtanti jaculis Ephremo,
Hujus inſignis manet et Machirum
Gloria facti.

Poſteros

Posteros non Issacharis tacebo
Qui per hostiles cuneos Baracum
Prodigum vitæ comites fuerunt
Usque secuti.
Si rogas cur his Rubenita defit
Ille Jordanis pecus amne lotum
In Galadinos amat otiosus
Ducere colles.
Institor Danus cupidusq; lucri
Navibus totus vacat instruendis,
Nec suâ cives operâ tuendos
Suscipit Asser.
Non latet non sic Zabulone cretus
Cessat, adjungit sibi Nephthalitas;
Eligunt castris juga saltuosi
Firma Thabori.
Æmulos contrà Chananitis ora
Suscitat Reges, et in arma mittit
Qui tegunt late Megidonis udam
Milite vallem.
Hinc mares atq; hinc animos tubarum
Clangor admistus lituis lacessit,
Dura collatis ineunt utrinque
Prælia signis.
O Deo dilecte, nepos Jacobi,
In tuas partes nimio favore
Astra concedunt, tibi fœderatus
Militat æther.

Sydus

Sydus e cœli ſtatione lævâ
Siſaram conſternat, eo timore
In pedes ſeſe temerè relictis.
Abjicit armis.

Par ſtupor cunctos equites equoſq;
Attigit, ſe præcipitis ab altis
Daut jugis, Kiſon tumidâ cadentes
Excipit undâ.

Corporum quantos vehit hic acervos
Auctus hoſtili fluvius cruore!
Amnę quot prono galeas Cadumim
Volvit inanes!

Sed quid infidæ populo Merozæ
Imprecer? nomen jubet execrari
Illius qui me monitor futuri
Spiritus afflat.

Ergo nos ſpectaverit e propinquo
Illa pugnantes? nec opem petitam
Miſerit? Non ſic id abibit illi
Crimen inultum.

Sis nurus felix, precor, inter omnes,
Sint tibi tentoria fauſta, Jahel,
Sub quibus fidas ſibi dum latebras
Siſara quærit

Poculo lactis datus in ſoporem
Nominis tanti cadit Imperator,
Non viri dextrâ neq; militaris
Cuſpide teli.

Malleo clavum mulier trabalem,
Vulneri ſortita locum, ſub aurem
Egit, et niſu valido jacentis
Tempora fixit.

Ille victricis moriens puellæ
Ad pedes fædé cecidit, puellæ
Ad pedes prono ter humum volutus
Ore momordit.

I, Parens, i nunc vigil e feneſtrâ
Siſaræ obſerva redeantne currus,
' Cur ſuæ, clamas, piger ille matris
Vota moratur?

' Mitte pro nato, pia mater, iſtam
Quam geris curam, valet et triumphat'
Una reſpondet ſapere inter omnes
Viſa puellas.

' Dividit prædas, ut opinor, illi
Virginum pulcherrima mancipatur,
Siſaram parto reducem triumpho
Læta videbis.'

Sic malos omnes mala fata perdant
At boni porrò magis eniteſcant
Ac magis, ceu Sol roſeo dici
Splendet in ortu.

ODE

ODE VICESIMA TERTIA.

JEHU REX ISRAELIS.

HEU quanta totum nubibus inquinat
Procella cœlum! Quem, Nemeſis, petes?
Cur fulmen auditur per axes
Æthereos, pavidaſq; ſternit
Ubique gentes? nempe minax ruit
In Jezraelem; vinea criminum
Ferax et inſontis nocenti
Supplicio dabit empta pœnas.
Quot ſaxa jecit deterior viro
Inſana conjux ora tot impleat
Diſcerpta, nunc prodi caninum
Cote Fames acuenda dentem.
Prodite, Peſtes, quas Erebus nigris
Effudit antris: occidet impii
Fortuna conclamata Regis.
Flagitiis ſuus inſtat ultor.
Tu ſceptra, Namſi progenies, cape;
Ad arma, Miles; jamq; oleo madet
Inunctus Heros, jam *'triumphe'*
Jam litui ſonuere feſtas
'Rex vive' voces. Protinus elevat
Quadriga magnum fervida vindicem;
Ad ſigna conjurat ſacrata
Seditio, ſequiturq; currum.

‘ Salve MINISTER JUSTITIÆ, Deo
Dilecte ſalve.’ Non vacat impigro
Audire tardantem, caballus
Præcipiti ſuper arva greſſu
Evolvit indignantem animam, neq;
Paret lupatis. Cur vigil excubas
In turre cuſtos, et per umbram
Æriſonum ſpecularis agmen ?
Denſum coactus ponè ſequi globum
(Jorame, parcas mittere tertium)
Bis miſſus explorator auxit
(Sic Superi ſtatuere) vires.
Victoris arcu tu prior occidis
Jorame, rapti per patrium ſcelus
Tu nudus infletuſq; truncus
Nunc odium ſatiabis agri.
Tecum (quis horti falleret oſtio
Divos ſequentes ?) cæſus Achoſias ;
Ferro Gavertini peracto
Procubuit ſuper arva clivi.
Quænam iſta valvis proſpicit, aureum
Oleas lupanar ? Dejice dejice
Eunuche ſcortum, nam quid omni
Luxuriæ maculata fuco
Soles nocenti polluit halitu ?
Delapſa murum vipera ſanguinis
Conſpergit expreſſi veneno ;
Membra natant, ſonipeſq; corpus

Infame

Infame fixâ proterit ungulâ.
Eheu genarum purpureus decor
Frontiſq; formoſiq; colli
Gratia dilaniata proſtat
Canumq; rictus paſcit hiantium.
Sed perge, Victor, neu calidum velis
Frigere ferrum, perge, reſtat
Samariæ jugulanda pubes.
Proh! quantus horum jam numerus jacet.
Denæ cruento vulnere ſepties
Suprà pavimentum coronæ
Verticibus cecidere ſectis.
Bacchare mucro letifer, hactenùs
Libata Mors eſt: quicquid Athalia
Effudit in partu peribit.
Purpureos vomit uva rivos
Nabothiano turgida ſanguine.
Quam multæ in agris falce virentibus
Secantur urticæ tot ipſas
Pontifices moriuntur ante
Baalis aras: emeritum Jehu
Jam conde ferrum; buccina perſonet
Timete Divos et monentem
Diſcite juſtitiam, nepotes.

ODE VICESIMA QUARTA.

OSSIUM IN CÆMETERIIS CONTEMPLATIO.

ARCANA dudùm triſtia comprimi
Luctantur in me, nec penitùs ſibi
Audet fateri quæ volutat
Hoſpite Mens agitata ſacro.
Morare, vates, nec ſtimulum Dei
Ignave ſentis? projice pectore
Immane famoſumque verum
Dum graderis vagus inter oſſa.
Vobiſne, Manes, ergo breviſſimæ
Spectata vitæ fabula tranſiit?
Hanc veſtra libertas Seriphum,
Hos Cyanos ſibi exul orbis!
Hìc nemo de te millibus alteri
Antiquæ tubæ jura, vel invidet:
Hìc hoſtis acclinato hoſti:
Hìc gemino capiti: nec fratres,
Adeſte magnorum agmina principum.
Adeſte Reges — vox medio ſuos
Audita exclamantis: hoc eſt
Omni Homo, cinis ato: pulvis
Arcana nequeunt terribilis ſonus
Juvenili aures: cum grege pauperum
Dives ſepulcrali, tyrann
Procerum ſubiere foſſam

Pos

Poſt fata cunctis ſufficit angulus
Et parvus aſſer : ſeriùs ociùs
  Ut quemq; ducit vel rebellem
    Attrahit imperioſus ordo
Manes ſub unum cogimur atrium.
Seu dextra falcem ſeu tulerit decus
  Inſignis auratiq; ſceptri
    Scilicet id Libitina curet !
Et tu procaci lumine quæ modò
Laſciva rides, diſce modeſtiùs,
  Puella, connivere, diſce,
    Dum liceat, tua flere fata.
Nam non ocellis dulce tuentibus
Mors cæca parcet, nec faciem Deo
  Jubente non ponet caducam
    Larva tui ſpecioſa vultûs.
Labore quanto fœmina comitur,
Solvenda in atras denique viperas !
  Videte quæ veſtri, puellæ,
    Ultima ſunt elementa faſtûs !
Deformis hæc eſt una cadaveris
Pulchriq; finis, quam neq; purpura
  Fucus renidentiſve cretæ
    Dimoveat ſimùl incubantûm
Vili putreſcens in foveâ jacet
Confuſa ſtrages : cujus enim genæ
  Pinguntur oſtro ? quæ polito
    Frons ebori nivibuſq; certat ?

At ecce circum ſeſquipedalibus
Cœlata ſignis pendet imaginum
In gentis armorumq; laudem
Pompa ferox, tituloſq; ſuprâ
Jactat ſuperbum marmor inutiles.
Quo natus anno, quo genitus patre
Vulgo requirenti loquuntur
Artificis ſimulachra dextræ.
Hæc nempè fatis ſaxa voracibus
Obſtare poſſint, tempore quæ brevi
Morſu venenato puſilla
Diſcutiet ſteriliſq; ficus!
Quid viva mirum eſt corpora grandibus
Nitere gemmis? ipſa cadavera
(Proh luxus inſaniq; mores.)
Faſtus adhuc pretioſa fecit.
Nulluſne mentem quis maneat ſtatus
Curat? nec illi ſollicitus timet
Quid Orcus et regnata Diti
Antra parent, Stygiæq; peſtes?
Fatalis error! Culpaq; lacrymâ
Lugenda quondam non miſerabili
Quum per ſepulchrorum cavernas
Attonitâ metuenda terrâ
Vox audietur 'SURGITE MORTUI,'
Repente ſurgent, caſtus ad aurea
Hinc agnus exultabit aſtra,
Inde ſalax trepidabit hircus

Immu-

Immugientûm fulmine nubium
Ad ima ſtratus. Sed mihi quis comas
Erexit horror? Cur gelatos
Inſolitus pavor urget artus?
An jam moventur? ſiſtite, Pallidi;
Tantiſpèr atrâ ſede quieſcite;
Fortuna mortalis peracta eſt
Veſtra, manet peragenda nobis.

ODE VICESIMA QUINTA.

IN EOS QUI OPES ET HONORES AMBIUNT

QUID relinquendos, morĭture, nummos
Quæris, et rebus venientis ævi
Lineæ puncto brevis in ſupremo
Acriùs inſtas?
Quid ſtruis pulchros thalamos in altum
Membra ſub terrâ poſiturus imâ?
Conſerens hortos, ſed in omne tempus
Ipſe ſerendus!
Num tuas te res agitare credis?
Eſſe te frugalem? aliis laboras
Servus infelix! aliena curas
Ardelio ingens!

Jure

Jure formicæ cumulant acervos
Providæ, et brumæ memores futuræ;
Sed malè æſtivas eadem deceret
Cura cicadas.

Gloriæ mendax nitor atq; honorum
Poſſet excuſare ſuos amantes
Si diem vitæ valuiſſet, ut ſol,
Pingere totum;

At brevem poſt ſe ſonitum relinquens
Fulguris ritu ſimul ac videtur
Tranſit, illuſtri loca multa inaurans
Non ſine damno.

Oh rudis pulchræ propè contuenti
Scena fortunæ! mala faſtuoſa
Ore larvato! lacrymæq; pictæ
Iridis inſtar!

Magna contemnens miſeranſq; magnos,
Invidens nulli minimo invidendus
Vive, *Couleï*, lege tuta parvâ
Littora cymbâ.

Hoſpitem cœlorum imitare alaudam;
Sis licèt nubes ſuper ire cantu
Doctus, in terris humilem memento
Ponere nidum.

ODE VICESIMA SEXTA.

IN LAUDEM SOBRIETATIS.

TU jam ſupino craſſus in otio
Curas nitentem, Marce, cuticulam,
Magnumq; non parvis laboras
Sumptibus ædificare corpus.
Conviviorum perpetuus fluit
Euripus, et te portat in amphorâ
Velut phaſelo per profundum
Spumiferi pelagus Lyæi.
Non vultus idem, non eadem mihi,
Amice, mens eſt, ut palearibus
Diſtentus armenti maritos
Cornigeri bovis inſtar æquem.
Sit rara longi linea corporis,
Sit umbra nobis qualis imaginum
Primâ colorandam figurâ
Projicitur rudis in tabellam.
Pingues tabernas par animus ſubit
Et ipſe pinguis : mens bona ſepibus
Vel oſſeis contenta vivit,
Hirta tegat modò pellis oſſa.

ODE VICESIMA SEPTIMA.

Solatium pro deformi.

AD BUDJUM.

INDIGNUM eſt animi te ſaturum bonis
Accuſare, Budî, ſydera floridum
Formoſi decus oris
Membrorumq; negantia.
Æſopo ſimilis, niteris altius?
Hipponax numero claruit ulcerum:
Luſca et lippa Philænis
Pulchræ prænitet Iliæ.
Nunquam tam celebrem Mæonii ſenis
Per tot caſtra ducum reddiderat tuba
Therſiten, niſi turpem
Vitandumq; puerperis.
Obſervant animas mille pericula
Formoſas, olido tutus ab oſculo
Eſt dens unus et ater;
Felicem ter et ampliùs!
Non, ſi forte velis, Priamiden potes
Ad damnoſa ſequi furta, ſtat Ilion
Per te, ſtat, nec Achivas
Tectis injicies faces.
Tritonas ſub aquis aſpice, et hiſpidos
In ſylvis Satyros: hi ſpeculum tibi
Oſtendunt, age, lætus
Divis annue fratribus.

Obluctaris

Obluctaris adhùc, et dubius gemis ?
Gallinaſq; nigras et lepores edis,
Quorum Proteus uſu
Transformere venuſtior ?
Ceſſa, ſiſq; quod es. Namq; licet botros
Protrudat facies uvida gemmeos
Hircoſuſq; piloſas
Nares polypus occupet,
Raro crine tamen frontis apex rubet,
Nec, quem terga gerunt, collis avunculi
Æquat pondere gibbum, et
Tantùm uno pede claudicas.

ODE VICESIMA OCTAVA.

AD AMICUM.

NE forte credas quas amor incutit
Regnante brumâ poſſe minùs faces :
Quin tunc pruinosâ triumphat
Orta maris Cytherea ſpumâ.
Quantum ſub arcto frigora ſæviant,
Amice, novi ; ſed tamen has plagas
Vicit pharetratus Cupido
Et Scythicos regelavit amnes ;

Lætum

ODE

ODE VICESIMA NONA.

AD DIVAM VIRGINEM IN ÆDE OBSCURA PROPITIAM.

TE licèt, Virgo, decuiſſet arcus
Qualis immani Latiæ coruſcat
Urbis in templo, croceiſve pingit
Nubibus Iris,
Hìc tenebroſo tamen in receſſu
Parva contentam facilemq; fleeti
Ara ſuſtentat, radioſq; frontis
Sponte remittis.
Quî fit, o puri ſata luce Solis,
Quî fit ut noctem patiaris iſtam
Quum tuas lunæ jubar et ſequantur
Sydera plantas?
Forsàn ut nobis adimas pudorem
Et ſcelus pleno fateamur ore
Amoves lumen, nebulâq; ſepis
Judicis iram.
Quicquid eſt, tales tenebras amamus;
Dulcis obſcuræ placet ædis umbra;
Præ palatino mihi ridet iſte
Angulus horto.

ODE

ODE TRIGESIMA.

JUDÆORUM FACINUS DETESTANDUM.

SÆVIS licebit ergo Sabbatariis
Impunè nos occidere ?
Non conqueror quòd aurum et immenſas opes
Avara gens emulgeat ;
Accuſo ferrum, quale, fratri prandium
Coſturus, Atreus ſtrinxerat.
Audite, Matres, facinus, et vel Colchicæ
Veſtris timete liberis.
Quà ſe Tyrolis ultimo extendit jugo
Stat rupe ſub nigrâ domus ;
Penetrale cæcum Moſis antiquâ fide
Serpens coronat æneus.
Illud paternis ſæpe fœdabat ſacris
Olens apellarum tribus.
Huc rapitur eheu ! qualis aut Gyges fuit
Aut pulcher Hyllus puſio.
Cui Fauſta Criſpi, cui peperciſſent trucis
Phedræ novercales acus.
Clam fraudulento capta pomo victima
Inſons ad aram ſiſtitur.
Stat ponè Samuel, ante cretatus Michas,
Devotus orco pontifex.

At

At conſpicatus hinc et hinc cultros puer
Plorat trementi gutture.
Vocem querentis lacteo coercuit
Injecta collo faſcia.
Tunc illigatus ponitur ſaxum ſuper:
Sic ordinabatur ſcelus.
In tenera dirâ membra membratim manu
Sævitur, ad faſtidium.
A calce cuſpis ad cruentum verticem
Sursùm deorsùm ducitur.
Ut ſtella ſole languet exorto duæ
Expalluere pupulæ.
Ne pereat ulla pars voluptatis ſinunt
Tandem puellum plangere.
Ille moribundâ voce ſingultit gemens,
Vix murmure incerto loquax.
Tremuere montes, atq; ab imis ſedibus
Concuſſa nutavit domus.
Bis terq; moto culter illapſus ſolo
Manus refugit impias.
Nihil hi moveri; quas dolor peragat vices
Avidè tuentur cominùs.
Scrutantur exta diſſoluti corporis
Et fata fibris abdita.
Conſumpta vita eſt, non tamen totum nefas;
Deformis en prodit ſenex,
Pateramq; vergens ſanguinis ſpumam ciet;
Additq; verba noxia.
'Hoc ultioni gentis infuſum meæ
Libetur, inquit, poculum.'

Et tanta pœnis Chriſtiani debitis
  Dicemur ulti crimina
Judea porci ſiquis ora ſumine
  Inungat inſolentior?
Huc venditure mille verpos unico,
  Cæſar, redi teruncio.
Unà et ſub imo quicquid eſt Erebo triplex,
  Canis, ſorores, Judices.
Genus omne monſtri, turpius monſtrum, ferat
  Infanda proles Iſaci.
Tityum relinquat ales, et Phlegyæ pater
  Gyrare ceſſet orbitam.
Suumq; montem Siſyphus liber jugo
  Miretur, et Lethen bibat.
Quæ pœna mundi ſontis eſt, et omnium,
  Sit pœna gentis unius.

ODE TRIGESIMA PRIMA.

ORATOR BONUS IN CAUSA MALA.

POSTQUAM Deorum cœpit expulſo metu
  Ætas rigere ferrea,
Flevitq; Pietas immerentis hoſpitis
  Cruore tingi limina,
Neglecta Virtus fugit ad ſolium Jovis,
  Nec ſe videndam præbuit;

Vix

Vix nunc ſuprema conſpici veſtigia
Dolemus almæ virginis.
Novere pauci priſca quid jubeat fides,
Quid nuda mandet veritas.
Errat ſuperbum jure contemto nefas,
Legeſq; in occulto ſilent.
Corrupta luxu liberi Cupidinis
Turpis juventus æſtuat;
Nec ſegniores pruriunt quibus propę eſt
Exacta vitæ fabula.
At quùm ſceleſtós eſſe plurimos juvet,
(Tanta eſt voluptas criminum)
Decora ſontes præferunt cognomina,
Et umbra virtutis placet.
Ut ſæpe ſolidum, ligna quæ tegit, levis
Mentitur aurum bractea.
His artibus ſi accedat orator catus,
Permutat atris candida.
Ait Cethegos innocentes vivere,
Et Patriæ amantiſſimos,
Apicioq; quicquid invidi fremant,
Frugaliorem neminem.
Clamat, minatur, obſecrat, jurat, monet,
Blanditur, increpat, furit.
Si fortè deſint verba, rem lacrymis agit,
Geſtuq; fletus adjuvat.
Perculſus interìm, ut ſolet vento mare,
Circùm popellus fluctuat;
Tollitq; vocem, et plaudit oranti manu,
Gaudetq; ſtultus decipi.

Minus diſerti robur apparet viri
Ni cauſa perditiſſima eſt.
Nam ſi vocetur ad tribunal Curius, aut
Fabricius, aut ſiccus Cato,
Quis tunc figuris uſus aut coloribus?
Patronus eſto quilibet.
At ſi reperto lis eget mendacio
Summus petendus artifex.
Tunc ſingularem fabricet calumniam
Demoſthenes vel Tullius.

ODE TRIGESIMA SECUNDA.

AD PHILLIPUM SECUNDUM HISPANIÆ REGEM.

PHILLIPPE magne, quìd moraris ampliùs
Pœnas ab Afris ſumere,
Ibera namque pervagantur æquora
Tuis moleſti civibus?
Id otioſa te rogat Valentia
Hiſpani ocellus littoris.
Idem precatur et vetuſta Tarraco
Princeps Iberarum urbium.
Omniſq; tellus à Pyrenæo jugo
Uſquè ad columnas Herculis.
Ad ipſa, ad ipſa (proh nefas!) ſuburbia
Veniſſe Mauros vidimus:

Locata

Locata caſtra propter amnis oſtia;
Naves abactas flumine.
Reor fuiſſe vel decem, vel undecim,
Omnes onuſtas mercibus.
Non hoc adorta claſſis Othomanica,
Sed parva prædonum manus.
Quid hoc? quotannis barbaris latronibus
Plus, quàm Philippo pendimus.

ODE TRIGESIMA TERTIA.

HISPANORUM CALAMITATES DEPLORAT.

HISPANE mîles, cujus ira numinis
Tuam repreſſit dexteram?
At quùm nefando Romam adortus impetu
Hoc inquinaſti ſæculum
Non purpuratos ordo texit Principes,
Non infulatos Flamines,
Summumq; mundi (proh nefas) antiſtitem
Noſtro retentum carcere
Flevere Gentes: tam ferox immanitas
Nos fecit inviſos Deo.
Olim triremes et duces et copias
Hauſit procelloſum mare;
Quid nuper? Urbis Algerenſis Regulus
Curvis minaces ungulis

Sprevit Leones, biſq; victor impetus
Hiſpaniarum contudit.
Nunc ille felix et potens exercitus
Tantis ſuperſtes cladibus
Malè ominatam navigavit Africam
Nunquam reverſurus domum.
Deprenſus inter Syrtium voragines
Turcas cruentavit manus.
Paſcuntur alacres inſepulta corpora
Aves et hoſtiles canes.
Io triumphe concinentes Barbari
Altam petunt Byzantion.
Dux inter arma militum acclamantium
Sellâ triumphali ſedens
Hiſpana ducit ante currus agmina
Vinctis retrorsùm brachiis;
Regiq; Turco pollicetur inſolens
Parem quotannis gloriam.
O Rex Deorum, ne tuorum amentias
Ultra recordari velis:
Fac ut Philippus mittat impiiſſimos
Inhoſpitale ſub Chaos.

ODE TRIGESIMA QUARTA.

IN PALMIRENIUM GRAMMATICUM.

MISELLUS ille qui vacat poeticæ
(Ut multa gens mortalium)
Audetq; ſoccum vel cothurnum tangere
Ignarus artis muſicæ,
Scribit, probatq; quicquid a ſtylo cadit,
Vix vix lituræ diſplicent.
Labore functus, et doloſâ ſcenicam
Spe pollicente gloriam,
Ambit ſenatum, currit ad collegia,
Invitat omnes ordines.
Theatra deindè cernit infrequentia,
Rarum in coronâ nobilem;
Claros honore vel ſcientiâ viros
Manu recenſet unicâ.
Exit triformis quadriformis fabula
Linguiſq; diverſis rudens.
Auditor omnis ſpectat alter alterum,
Et unde ſit monſtrum rogant.
Magis magiſq; rumpitur ſilentium,
Hic clamat, ille ſibilat.
Si quis modeſtus intereſt ſpectaculo
Aut dormit, aut præſens abeſt.
At quum perorat hiſtrio noviſſimus
Et dicit optatum vale,

Placere demùm ineptus autor incipit
  Auditq; inauditum probè.
Hæc ut loquutus verba Palmirenius,
  Poeta jam non ampliùs,
Omnes recondit ſcriniis ineptias,
  Mox in theatrum protulit.

ODE TRIGESIMA QUINTA.

PARAPHRASIS PSALMI 82.

FORMIDARE Deum diſcite, judices,
Qui magnis procerum cætibus intereſt,
  Et ſuffragia regum
    Pendit conſiliantium,
Secretuſq; foro præſidet arbiter.
Quo tandem nocuos fine fovebitis
  Auctores ſcelerum, nec
    Cedet gratia legibus?
Quiſve injuſtitiæ ſtat pudor aut modus
Venales animæ? Dicite, cernitis
  Ut vos præda ſuperbi
    Actoris vocet orbitas,
Et ſimplex pueri fallere neſcii
Ætas, fraudibus obnoxia divitum
  Nullo vindice? Tandem
    Pupillis et egentibus

Gratis

Gratis jura date, et pauperis exteri
Cauſam juſtifico ſolvite calculo.
Quin illum ſine labe
Fortunâ tenui gregem
Crudeli dominorum eripitis jugo.
Sed ſurdis canimus. Quippe animos tenet
Alta inſcitia legum
Et ſocordia pertinax
Defendit triplici pectora nubilo.
At res intereà publica conſilî
Expers præcipitat dùm
Compages Patriæ labat.
Sic eſt: vos fateor gloria nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos,
Heroeſq; ſupremi
Auditis ſoboles poli
Rectoris: veniet mors tamen, ultima
Rerum meta, pari lege neceſſitas
Plebem deprimit imam
Et regum pueros, ſua
Nec ſervat tumidos purpura principes.
At tu, magne Deus, tu potius veni
Judex, et tibi dictas
Gentes imperio preme.

ODE

ODE TRIGESIMA SEXTA.

JUDÆORUM GENTEM NULLIS MIRACULIS SERVARI POSSE.

OCCIDIT partis ſpoliata regnis
Iſaci proles, vacuiſq; mærens
Urbibus ſævo miſeranda ſubdit
Colla tyranno.
Occidit per tot, Pharaone merſo,
Monſtra ſervatus populus, rubentis
Cujus ad nutum pelagi repreſſum
Conſtitit æquor.
Vidit inſueto tremefacta Tethys
Calle ſiccatas peditem per undas
Currere, hinc atque hinc metuente jungi
Gurgite cinctum.
Inde flammatâ per inhoſpitales
Nube deſerti ſitientis oras
Ductus infeſtos retudit ſecundis
Viribus hoſtes.
Roſcidus vaſtis alimenta nimbus
Depluit campis, faciliſq; captu
Sponte ſe vulgi dapibus miniſtrat
Lapſa cothurnix.
Fonte dein largo ſalientis hauſtum
Cominùs lymphæ laticeſq; puros
Præbuit rupes levitèr potenti
Cæſa flagello.

Quin

Quin et armatas Arabum catervas
Stirpis ingreſſum profugæ morantes
Non minax ferro volucriſve ſaxi
Turbine Moſes
Fudit, at ſolâ prece, dum reducto
Colle proſpectans acies, in altum
Hinc graves atque hinc ſubeunte palmas
Fratre tetendit.
Audiit longè, tremuitq; ſacræ
Gentis incurſum Chananæa tellus,
Impios tandem luitura fuſo
Sanguine ritus.
Arma nequicquam nitidoq; contrà
Ære florentes acuit catervas,
Vaſta nil moles juvat, aut hiantes
Undique foſſæ.
Quippe promiſſas ſimul atque ſciſſo
Amne Jordanis tetigere ripas
Protinus turres Jerichontis altas
Ariete nullo
Sed tubæ rauco lituiq; cantu
Egit in terram præeuntis Arcæ
Pompa, ſepteno revoluta circùm
Mœnia greſſu.
Proh nefas! tanti modò non redemptum
Concidit latè genus. Heu quid iſtud
Profuit jactaſſe decus ſupremâ
Clade ruentes?

ODE TRIGESIMA SEPTIMA.

IN LAUDEM LYRICORUM POETARUM.

PHŒBE, fraterno decorate plectro,
Aureæ ſi te, pater, annuente
Contigit cuiquam citharæ canoras
Tangere chordas;
Hunc ut inſigni referam Camænâ
Ipſe majores ſolito miniſtra
Tu mihi vires, meritaſq; vatum
Suggere laudes.
Primus immites hominum recentûm
Leniit mores, animoſq; dulcem
Ad Lyræ finxit ſonitum paternæ
Thacius Orpheus.
Ille dum charæ lacrymoſa mæret
Conjugis fata, et nemus omne luctu
Implet, ac Divos nimiùm ſeveros
Culpat, et aſtra,
Siqua frondoſa juga cingit Hæmi
Edidit triſtes gemebunda queſtus
Arbor, et ſævo domitus dolore
Conſtitit Hebrus.
Pavit errantes lupus inter agnos
Immemor priſcæ feritatis, atque
Junxit inconcuſſa latus cubanti
Cerva Leoni.

Te

Te quoque æterno genitum Parente
Te canam Divâ genetrice natum
Te, Line, inſignem teretes ferire
Pollice chordas.

Nec minus lauro citharâq; Phœbi
Concinam clarum, fide qui potenti
Juſſit ad Thebas animata cantu
Currere ſaxa.

Leſbium nec conticuiſſe civem
Dicar, et mutis etiam probatum
Piſcibus carmen medias ut inter
Luſerit undas.

Noſtra Dircæum neque præteribit
Muſa ſcandentem ſuper aſtra cygnum;
Nec ſenem flores ſuper et ſub arctâ
Vite bibentem.

Prælii poſt hos priùs, inclytiq;
Martis Alcæum referam magiſtrum,
An puellares memorare doctam
Leſbida curas?

Te quibus tollam Venuſine vates
Laudibus, ſi par tibi vel ſecundus
Non fuit quiſquam, fidicen latinæ
Maxime Muſæ?

Sive te celſâ levat aura pennâ
Seu per umbroſos thyma carpis agros
Te latens vulgum decor, utiliſq;
Gratia cingit.

Te

Te mihi ſi non datur æmulari
Penè inæquali tamen, ut licebit,
Inſequar greſſu, et leviore quœram
Carmina plectro.

ODE TRIGESIMA OCTAVA.

AD APOLLINEM.

NON te ſupino, Phœbe, ſilentio
Tranſire tutum eſt; te citharæ ducem
Qui vocis inflexus novenæ
Pierio moderaris antro.
Oh grande mundi præſidium! oh ſalus!
Quacunque ſacras oceano redux
Auriga tu torques habenas
Miſſilibus procul icta flammis
Caliginoſæ noctis inania
Portenta cedunt; diffugiunt metu
Manes, et umbrarum catervæ,
Fœda modis ſimulacra miris.
Blandum excitatæ tunc reparant melos
Silvis volucres; tunc ſtabulis agunt
Armenta Paſtores, et aptas
Cantibus expediunt cicutas.

Tu

Tu monſtra victor conficis aureo
Timendus arcu ; terrigenam tuis
Pithona proſtratum ſagittis
Caſtalii cecinere colles.

Quà rupe jam ſecurus ab arduâ
Ventura longè ſæcula proſpicis
Divinus Augur, gentibuſq;
Fata canis ſubeuntis ævi.

Te ſenſit olim perfida Tantalis
Ultorem in ipſo marmore perpetes
Teſtata pœnas, flet ſub alto
Monte ſilex, Sipylumq; terret.

Flevere torvi funera Marſyæ
Triſtes Celænæ, qui dominam chelyn
Speravit, æternoſq; cantus
Flumineis ſuperare cannis.

Tu carminum Rex, tu citharæ potens !
Quum plectra doctâ ſollicitas manu
Suprema mulcentur Deorum
Concilia emodulante chordâ.

Fulmen ſolutis armiger unguibus
Remittit ales ; tela cadunt Jovi,
Ceſſura non æquè Sabæis
Ignibus, aut pecudum cruori.

Doctis medentûm tu quoq; cætibus
Mentem dediſti, te quibus auſpice
Arcana natura reducto
Ante oculos patuere velo.

Uſi magiſtro non alio ſciunt
Iidem potentûm vi medicamînum
Tardare feſtinata mortis
Spicula perpetuumq; ſomnum.
Felix amico lumine quem vides!
Non durus illum militiæ labor
Non fulgor armorum juvabit,
Partaq; funeribus tropæa;
Non ſpes avaras inſtitor horridis
Credet procellis; non rabiem fori
Spumabit; aut ſumet ſecures
Arbitrio popularis auræ.
Ducente ſed te ſcandere geſtiet
Calcata ſacris culmina vatibus,
Viſetq; inacceſſos profanis
Altior invidiâ receſſus.

EPI-

EPIGRAMMATA,
ET ALIA.

1.

OMNE Epigramma ſit inſtar apis; ſit aculeus illi,
Sint ſua mella, ſit et corporis exigui.

2.

AD POETAM CONSILIUM.

SI non ingenii ſatis eſt ut carmina condas,
Carmine ut abſtineas ſat rationis habe.

3.

AD FLACCUM, RHETOREM.

QUIS neget orando populum te, Flacce, movere,
Orantem quandò concio tota fugit?

4.

AD AULUM, ASTROLOGUM.

INQUIRIS cœlo quid agat Venus, Aule, domiq;
Intereà neſcis quid paret illa tuæ.

5.

AD MATHONEM.

UT mandem victura meis tua nomina chartis
Dicis amicitiam te, Matho, velle meam;
Et tibi ſemper in ore duces quos Graius Homerus,
Quos noſter Latia vexit in aſtra tubâ.
Dumq; ego ſum tanti te Judice, venit ab horto
Cum donis olitor biſve ſemelve tuus.
Scilicet æterni pretium mihi grande daturus
Nominis, et fidæ pignus amicitiæ.
Oh Matho, quàm felix et amico et vate reperto es!
Quàm felix horto muneribuſq; tuis,
Si quod Dîs genitis vix tot peperere labores
Id tibi lactucæ prototomiq; dabunt.

6.

AD QUINTUM.

NUDUS inopſq; tuas ſiquis pulſaverit ædes,
Quinte, ſtipem miſero qua ratione negas?
Mendicare ſtipem prohibet lex Anglica dicis:
Eſto, tamen miſeris lex dare nulla vetat.

7.

AD LABIENUM.

DIVES es, agnoſco, Labiene; ex paupere dives:
Imò ex pauperibus dives es innumeris.

8.

IN HYLUM, CONCIONATOREM.

QUI dormire paras nocturna ſilentia noli
Quærere, vel ſtrepitum prætereuntis aquæ.
Nec molli te crede toro, nec membra fatiga,
Nec dape, nec ſumpto lumina conde mero.
Ut ſopor obrepat non expugnabilis, audi,
Dum coram populo rhetoricatur, Hylum.

9.

AD CÆCILIANUM.

NIL famulo credis, nil fratribus, atq; parenti;
Ignorat curas ipſa marita tuas.
Quid facis, infelix? multi docuere fidelem
Fallere, dum falli, Cæciliane, timent.

10.

IN VARUM.

TRAXERAT in ſeram Varus convivia noctem,
Et mane officium, ſed benè potus, adit.
Ut voluit ſanctâ de ſobrietate profari
Continuò ructus edidit, et tacuit.

11.

AD POSTHUMUM.

POSTHUME, te juris vehemens, ais, incitat ardor,
Sed terrent aditus difficileſq; viæ.
Non, quia difficile eſt, non audes, Poſthume, niti,
Sed quia non audes, Poſthume, difficile eſt.

12. IN

12.

IN MACRUM.

FLET Macer extincti ſequitur dum funera fratris.
Tam pius eſt? inquis. Flet ſupereſſe duos.

13.

IN ASINOS BALAAMI ET CHRISTI VECTORES.

ILLE ſuum didicit quondam objurgare magiſtrum,
Et quid ni diſcas tu celebrare tuum?
Mirum non minùs eſt te jam potuiſſe tacere
Illum quàm fuerat tum potuiſſe loqui.

14.

AD THOMAM APOSTOLUM.

SI tibi, ni rebus fuerit firmata videndis,
Non erit ulla fides, non erit ulla fides.

15.

IN CHRISTI NATIVITATEM.

TE nato nova ſtella nitet: res mira relatu
Sydereas orto ſole venire faces.

16.

IN IDEM ARGUMENTUM.

PARCITE jam bobus, teneras neq; ferte bidentes;
Quem dedit, hunc agnum vult Deus ipſe dari.

17.

DE JUDA PRODITORE.

JUDAS, Chriſte, tui fuerit defenſor ovilis:
Quum ſe ſuſpendit ſuſtulit ille lupum.

18.

IN QUENDAM THEOLOGUM.

QUÆSTIO te nunc hæc, nunc quæstio detinet illa:
In Cœlum aspiras? plus age, quære minus.

19.

AD SACERDOTES.

IMO pectore cogitate, Fratres,
Vestram, Paulus ait, vocationem.
Respondete mihi, rogo, parumpèr
Vos qui in vertice crinibus coronam
Abrasis geritis, licetne poni
Vobis fercula, quæ gravant ferentes?
Nunquid pectinibus comas eburnis
In multos decet annulos revolvi,
Auratoq; latus dolone cingi?
Num de frigoribus manus, vel æstu
Defendi, niveam levemq; circùm
Ducto pelliculam nigro corymbo?
Et telas Phrygio decore pictas
Ferri vestibus hinc et hinc apertis

A collo ad medium, ampliùſve, pectus?
Aut zonas, quibus excitentur ad vos
Spectandos pueri et ſenes? Quis ædes
(Proh crimen) veniam ſacras emendi
Vendendiq; dabit? timete magnum
Ultorem ſcelerum; nec hunc reflecti
Votis fidite quùm nimis nimiſq;
Menſuram vitii videt repletam

20.

AD CLERICOS ROMANENSES.

FŒDERA condemnant veſtri ſocialia libri,
Mirus in his ſpirat virginitatis amor.
Illos nemo leget thalami quin damnet honores,
Perpetuâq; velit virginitate frui.
Ipſos præcipuè, qui vos genuere, parentes
Hoc movet; hos ſobolem progenuiſſe pudet.

21.

IN MARTINUM LUTHERUM.

CANTEMUS ſacri facta admiranda Lutheri,
Sed numero in tanto quæ quibus anteferam?

Uxores

Uxores voluit communes omnibus esse:
Quam pulchre totum tollit adulterium!
Se jactat cœlo demissum ut destruat aras;
Quis sic implevit munus Apostolicum?
Qui nova prædixit mundo sacra, moxq; sacerdos
Uxorem duxit, nonne Propheta fuit?
Dixit Evangelium, non veni mittere pacem;
Hic turbat populos: Oh vir evangelicus!
Oh hominem sanctum, qui ne vestigia Christi
Linqueret infernam venit ad usque domum!
Hoc tantùm est inter, sedet æternùmq; sedebit
Illic Lutherus, Christus ad astra redit.

22.

AD EUNDEM MARTINUM LUTHERUM.

INGENIUM, Martine, tuum laudare necesse
est,
Imperium ex humili quo tibi sorte paras.
Non tamen exemplo celebri, Martine, carebas;
Conflavit tantas sic Mahumetus opes.
Illius illecebris Arabum gens barbara capta est,
Gens Germanorum barbara capta tuis.

23.

DE SANCTO QUODAM JUDICE.

STABAT citantis ad tribunal judicis
Gravemq; ſancto præſuli mulctam dabat
Pro concubinis grex ſacerdotum ſuis.
Quos inter ut ſe diceret quidam diù
Habuiſſe nullam ' protinus, ſi non habes,
Habere cura,' Præſul indignans ait,
Haud ære ſic fraudabitur judex ſuo.

24.

AD OLLUM ADVOCATUM.

QUAMVIS illa mihi forenſis eſſet
Pridèm perfidia uſq; et uſq; nota,
Nec donis ego nec pecuniarum
Peperci cumulo ut mihi innocenti
Præſto judicis ad tribunal eſſes.
At tu muneribus meis receptis
Me, nec id ſemel, Ole, prodidiſti.
Sanè es integer et bonus patronus
Spem qui fallere non velis clientis.

25.

DE QUODAM JUDICE.

INGENIO insignis, precibusq; invictus et auro
Juridicus, formæ flectitur illecebris;
A te non sat erat Junonem et Pallada victas
Ipsam quin superes, Cypria, nunc Themidem?

26.

IN ELIZABETHAM, ANGLIÆ REGINAM.

QUANDO suum ornari diademate jussit Eliza
Exosum monachis Pontificiq; caput,
Debita mitrati detrectrant munia patres
Qui Romæ patriam posthabuere suam.
Omen, Eliza tibi quam faustum! sceptra tueris
Non data Papali, non adimenda, manu.

27.

IN OBITUM MOLERII.

PLAUDEBAT, Moleri, tibi plenis aula theatris,
Nunc eadem mærens poſt tua fata gemit.
Si riſum nobis moviſſes parciùs olim
Parciùs heu lacrymis tingeret ora dolor.

28.

IN CATHARINAM, GALLIÆ REGINAM.

SPARGERET audaces quum triſtis in æthere crines
Venturiq; daret ſigna cometa mali,
Ecce, ſuæ Regina timens malè conſcia vitæ
Credidit inviſum poſcere fata caput.
Quid, Regina, times? namq; hæc mala ſiqua minatur
Longa timenda tua eſt, non tibi vita brevis.

29.

IN BRUTUM.

BRUTUS apud Gallos Germanica carmina torquet,
Germanoſq; inter Gallica verba vomit.
Gallia nec ſcit eam, nec eam Germania linguam,
Sic apud hos et eos eſſe poeta poteſt.

30.

FORMOSUS IOLAS.

QUUM lymphis nudum ſe credere vellet Iolas
Effigiem fonti vidit ineſſe ſuam.
Nec ſeſe agnoſcens, comites, accurrite, dixit,
Depoſitis alis, ecce, Cupido natat.

31.

VITA HOMINUM.

EST equidem vita ingenuè ſi vera fatemur
Splendida; ſed vitro, non adamante nitet.

32.

AD PHILIPPUM SECUNDUM, HISPANIÆ REGEM.

VICIT Alexander Perſas, ſed conſtitit illîc,
Vix Indum vidit filius ille Jovis.
Roma, caput mundi, fertur viciſſe Britannos,
Nex plus progreſſa eſt Cæſariana manus.
Latius ambobus mittis tua ſigna, Phillippe,
Virtuti regio eſt invia nulla tuæ.
Sol cadat aut ſurgat ſemper tua regna pererrat,
Magna minorve dies per tua ſceptra venit.
Ut ſit in orbe locus metas ubi figere poſſis
Terra ſuos fines augeat, unda ſuos.

33.

AD EUNDUM REGEM.

NONA dies agitur poſtquam tua claſſis in alto eſt,
Nec tua, Carolide, vela videmus adhùc.
Quæ, rogo, te reducem tardat mora? nunquid in undis
Candida amatorem Tethyos ora tenent?
Num tibi Neptunus ponto ſpectacula præbet
Oſtentans vaſti ſquamea monſtra freti?
Quicquid id eſt abrumpe moras: ni protinus adſis
Tranſcribent populi tecta lareſq; mari.

34.

DE TEMPLO D. LAURENTII IN HISPANIA.

QUID hoc? Trophæum. Cui ſacrum? Laurentio.
Quid majus? autor. Quis, precor? Rex maximus.
Quis hic? Philippus. Quis Philippus? Auſtriæ.
Quotus? ſecundus. Quis domo? auguſtiſſimus.
Quæ cauſa? vicit. Quos? virûm fortiſſimos.
Quos quæſo? Gallos. Quas ad arces? Quintini.
Quo Marte? juſto. Quo peric'lo? maximo.
Quo menſe? ſexto. Quo die? Laurentii.

35.

IN NEUTONUM EX ANGLICO.

NATURAM abdiderat denſis Nox atra tenebris;
Sis, Neutone, Deus dixit, et orta dies.

36.

IN DAPHNEM.

COMPLEXUS virides frondoſæ virginis artus
'Sic quoq; mutatâ, dixit Apollo, fruar.'
Utq; novas labris baccas tentavit, 'eandem
Hei mihi! ſervat adhùc, inquit, amaritiem.'

37.

AD ANOLBUM.

NUPER vulgato cautum eſt diplomate libros
Ne quis, te præter, vendat, Anolbe, tuos.
Quo vendi prohibentur habes diploma: quid inde?
Nunc opus eſt alio quo jubeantur emi.

38.

AD PONTILIANUM.

UXORIS ſordes nullius obeſſe maritis
Uxori dicis, Pontiliane, tuæ.
In te, crede mihi, ſiquid peccaverit uxor
Acceptum referes, Pontiliane, tibi.

39.

IN SEMPRONIUM.

NIL præter reſtem tabulis donâſſe ſupremis
Sempronio prudens dicitur, Aule, pater.
Sempronius patris (fieri quis poſſe putaret)
De nece ſollicitus definit eſſe ſui.

40.

IN HARLEIUM, URBIS PRÆTOREM.

HARLEIE, cur ſic aureis monilibus,
Inepte, collum circuis?
Hoc eſt fateri crimen, hoc palàm tibi eſt
Laqueum ominari debitum.

41.

IN FANNIUM.

UT primùm decimâ ſurrexit Fannius horâ
Aſſa datur perdix, teſſera, vina, Venus.
Mox ſatur in ſtrato recubans, da, Jupiter, inquit,
Fortitèr ut vitæ tot mala ferre queam.

42.

AD IOLAM, FABRUM.

ET faber et claudus formoſam ducis, Iola,
Marti catenas præpara.

43.

AD ARISTIPPUM, AURUM ABJICIENTEM.

NIL opus ut perdas auri, ſtultiſſime, munus.
Illud perdiderat qui tibi cunque dedit.

44.

AD PONTICUM.

PROSPERA te fecit fortuna ſaluſq; ſuperbum:
Quum fueris æger, Pontice, ſanus eris.

45.

AD CLIENTEM.

MIRARIS clauſæ quod ſint tibi judicis aures
Quum tua judicibus non ſit aperta manus?

46.

AD MULIEREM PULCHRAM, SED INSTABILEM.

TE Rex aſtrorum decorat, Regina gubernat;
In vultu ſol, in pectore luna tuo.

47.

AD MULIERES.

PERFIDIA et levitas ſunt veſtri infamia ſexûs:
Non facit hæc mulier ſed muliebre genus.

48.

AD DELIAM.

AUREA cæſariem, liquidaq; argentea voce
Delia, cur duro ferrea corde riges?

49.

DEMOCRITI EPITAPHIUM, EX GRÆCO.

ACCIPE Democritum, Pluto, precor, una ſit ut quæ
Tot flentes inter rideat umbra tibi.

50.

IN BIBULUM.

FEBRE laborabat Bibulus, medicoſq; videbat
De propulſandâ curam agitare ſiti.
Vos ait, infeſtam, medici, de corpore febrim
Propulſate, ſitim quid fuget ipſe ſcio.

51.

RUFUS GRAMMATICUS.

UNA dies eſſet ſcribendum, Rufus, an unus,
Anceps dum dubitat, perditur una dies.

52.

AD MONACHOS.

QUARE capillos cæditis, fraterculi?
Ne ſpontè, credo, defluant.

53.

AD SODALES.

NOSTRÆ cara cohors ſodalitatis,
Dum pollet latus, integræq; vires,
Veſtris ludite quiſq; cum puellis.
Nobis non licet eſſe tàm beatis,
Queis febris malè contumacis æſtus
Indixit Veneris vacationes.

54.

EX GRÆCO.

UXORE ductâ nemo non vivit miſer.
Fatentur omnes, et gemunt: ducunt tamen.

55.

IN MARCUM.

CIBO repletus, Marce, jejunè tamen,
Potuſq; ſcribis aridè.

56.

NUMERO DEUS IMPARE GAUDET.

LÆTATUR Pluto fidi canis ore trilingui,
Neptuni gaudet dextra tridente ſuo.
Jupiter hoc, unum hoc, præſertim ante omnia jactat,
Junonem linguas non habuiſſe duas.

57.

IN PAULUM.

JAMDUDUM fractam Paulus ſarcire feneſtram
Et lapſas auſus reſtituiſſe fores,
'Proh! quanti conſtat; quàm res eſt ardua!' clamat,
'Cujuſvis non eſt ædificare viri.'

58.

AD RUFAM.

RUFA, tibi ſterilem manibus quum tangeret alvum
Dæmonis auxilio quæ malè fidit anus,
Non tenuit riſum tenerorum mater amorum
Et roſeo tales fudit ab ore ſonos.
'Si tulit amplexus fruſtrà tot Rufa viriles
Arida quid vetulæ proderit iſta manus?'

59.

AURI POTESTAS.

JUPITER, ut perhibent, quondam mutatus in aurum eſt.
Nunc quoq; neſcio quid numinis illud habet.

60.

NE SOLLICITI ESTOTE IN CRASTINUM.

SOLLICITE nimis incertos horreſcere caſus
Quid juvat, et triſtes anticipare dies?
Mala non venient jam nos metus urit inanis:
Sin venient aliud ſit metus ipſe malum.

61.

AD LATRONEM.

EXCLAMAS, latro, ſi furti cauſa rogetur,
'Nil erat in loculis, ergò neceſſè fuit.'
At non nimio doleas ſi de cruce pendas;
Cauſa ubi in promptu eſt, nempè neceſsè fuit.

62. EX

62.

EX GRÆCO.

QUÆRENS edaci corpori vagus cibum
Claudum ferebat cæcus, illi fænerans
Pedes, ab illo fæneratus lumina.
Quid non egeſtas dura mortales docet?

63.

EX GRÆCO.

TE ſervat crepitus fugiendi liberà detur
Si via, te perdit ſi retinere velis.
Si crepitus ſervare poteſt et perdere, nunquid
Terrificis crepitus regibus æqua facit?

64.

AD CRISPINUM

CALVUS es, et juvenis: laudo, Criſpine, capillos
Tam cito qui fatuum deſeruere caput.

65.

IN AMOREM.

LIBERTAS, carcer; pax, pugna; dolenda voluptas;
Spes, metus eſt; fel, mel; feria, ludus amor.

66.

AD MARTIANUM.

NIL immundius eſt tuis libellis,
Nil obſcœnius impudiciuſq;.
Et vis te tamen ut putemus eſſe,
Numâ Fabricioq; ſanctiorem!
Hæc ſententia, Martiane, noſtra eſt.
Quiſquis verſibus exprimit Catullum
Rarò moribus exprimit Catonem.

67.

IN COTTAM.

LAUDES ubique Cotta deterit meas
Meumq; nomen dente rodit livido.

Amicus

Amicus interìm eſſe mihi credi cupit,
Nec illa ſtudio facere ſe jurat malo,
Mores ſed emendare quod velit meos,
Et charitatis genere ſe excuſans novo
Bonam ex ſiniſtrâ ſtruere mihi famam ſtudet.
Amice Cotta, pro voluntate optimâ
Grates habemus, quas mereris, maximas.
Amare tanto ſi tamen damno ſoles
Mercede quâvis odia mercarer tua.

68.

LIBRORUM COMMODA.

PELIX, qui ſtudio libriſq; gaudet,
Quorum colloquio domi fruatur,
Quos quantum placet audiat docentes,
Et quos, tædia ſi ferant, volentes
Volens abjiciat: ſuos ut ille
Dies lætus aget! loquacitatis
Securus nimiæ, minuſq; nunquam
Solus, quàm ſibi quum relictus uni.

69.

INSCRIPTIO BIBLIOTHECÆ.

QUISQUIS diſpoſitos in hoc receſſu
Libros aſpicis, et ſimul libellos,
Illos terrigenæ pares Giganti,
Pygmæis alios minutiores,
Rerum ne malus æſtimator harum
Minoris pretii libros minores
Omninò facias, magiſq; magnos
Credas judicibus placere doctis.
Parvo ſæpe ſolet latere libro
Scriptor maximus, inq; grandiorem
Scriptores minimi tumere formam.
Raro conveniunt amore magni
Moles codicis ingeniq; magni.

70.

IN SEVERUM.

SCRIPSISTI egregium, Severe, librum,
Quo contemnere gloriam docemur.
Quæ ſi vile quid eſt putanda nobis
Quarè tu minio tuum rubenti
Summo margine nomen annotâſti?

71.

AD PAULUM.

DAS mihi lactucas, centum sed mutua poscis:
Define; lactucas, Paule, minoris emo.

72.

AD PHYLLYDA.

PHYLLI, sacrum faciens adolebas thura Dianæ:
Aft ego suspirans sic tibi thura dabam;
Me castigabas oculis tu sæpe, sed, oro,
Qui videt archetypum cur simulchra colat?

73.

AD LUCIAM.

Frigidius nihil est silice, et nil durius, illa
Semina flammarum sed tamen intus habet.
Frigidula et dura es, tamen hinc mihi, Lucia, spes est
Scintillas aliquot corde latere tuo.

74.

AD PHILEN.

QUUM nobis ſtatuas et omne marmor
Legârit genitor tuus, putamus
Te nobis pariter, Phile, relictam.
Verbis tu quoq; contineris iſtis
Nam te durities rigorq; fecit
Pluſquam marmoream; niſiq; firmam
Quâ nos ſuſtineas, Phile, ruentes
Ex hoc marmore feceris columnam,
Quo nos excipias, Phile, peremptos
Illo marmore conſtruas ſepulchrum.

75.

AD AMICAM.

CARMINIBUS doniſq; mihi precibuſq; petita es,
Quod peto crudelis tu tamen uſque negas.
Quid manet ulteriùs fugiam niſi? forte petenti
Quod renuis, merces id fugientis erit.

76.

AMORIS POTESTAS.

QUID mirum expertes fieri rationis amantes
Si pecudes, ut ament, non pudet eſſe Deos?

77.

AD CAMILLUM.

TERGENDIS natibus tuum libellum
Aptum dixerat optimus Poeta,
Blanditus tibi, credo, tunc poeta;
Nam nullus natibus ſuis, Camille,
Dignum judicat hunc tuum libellum
Incultum, rigidum, parùm pudicum,
Atq; ipſis natibus magis lutoſum.
Quarè tergere podicem volentem
Chartas ut fugiat tuas monemus
Nî vult ſurgere fœdiore culo.

78.

AD EUNDEM.

ANGUSTAS quereris tumere fauces
Et multâ simùl incalere flammâ.
Non hic consilium meum negabo.
Nudis vescitor ossibus, deinde
Quæ cras sicca cacaveris vorato.
Aversaris, et execraris? Imo
Præsens auxilium libens capesse.
Nam, doctus velut asserit Galenus,
Inter præcipuas solet medelas
Hunc sanare canina merda morbum.

79.

AD EUNDEM.

DOCTÂ pulchrius eruditione
Quàm dirâ maledictione tecum
Certarem, idq; mihi magis placeret,
Hanc nî materiem prior dedisses.
Extrà ipsum thema disputare non est
(Ut nosti dialecticus) decorum.

80.

AD PAULUM.

EXCUBIAS quid agis circum tua tecta perennes,
Non exorandas ſtans vigil ante fores?
Scilicet uxoris meliùs ſic, Paule, venuſtæ
Servari dubiam credis, inepte, fidem.
Viſq; ideò felix et fortunatus haberi,
Cui conjux caſta eſt incolumiſq; torus.
Oh ſtultum! ſummas merita eſt quo judice laudes
Diſpoſitis virtus undique tuta ſeris.
Si, niſi quam vectes et ferrea clauſtra coercent
Fœmina nulla proba eſt, fœmina nulla proba eſt.

81.

AD LEONORAM.

ECQUID ſis formoſa, rogas, Leonora, frequenter,
Nec niſi jurato vis adhibere fidem.
Sic mihi nunquam Helene, ſic nunquam Leda ſit uxor
Ut nec par Helene, nec tibi Leda fuit.
Dî ſimùl Heroeſq; has, ſed patienter, amarunt,
Verùm quiſquis amat te, Leonora, furit.

82.

AD MERETRICEM QUANDAM.

LENA tibi eſt genitrix, tu matris filia pellex,
Et tua ſuſcipiet filia matris onus.
Exulat extremos tibi vir depulſus ad Indos,
Proq; viro lixas diligis atq; coquos.
Cumq; tibi fratrem prudens natura negaſſet
In monachis fratrum tu quoq; nomen amas.
Quàm benè quòd primis pater eſt tibi mortuus annis
Ne natæ plus jam quàm pater ille foret.

83.

AD MULIEREM.

PERFIDIA et levitas ſunt veſtri infamia ſexûs;
Non facit hæc mulier ſed muliebre genus.

84.

REN. RAPINI EPITAPHIUM.

OCCIDIT heu! longâ confectus tabe Rapinus,
Ille decus ſacri deliciæq; chori.

Letati

Letali macie pallentem et corpore fracto
Durare in ſenium quis potuiſſe putet?
Credideram flexam cantus dulcedine mortem
Spontè diù ſævas abſtinuiſſe manus.
Da flores tumulo; ne deſint ipſe per hortos
Æternùm juſſit luxuriare ſuos.

85.

ALIUD.

ELYSIOS ah quid lucos, Rapine, petiſti?
Feliciſne legas ut nova ſerta loci?
Fallit te incautum ſpes credula; non tot amœnos
Elyſius flores quot tuus hortus habet.

86.

IN J. NICII ERYTHRÆI PINACOTHECAM.

QUI doctos rudibus, fatuos ſapientibus æquat
Clarorumne refert iconas ille virûm?
Fallor, an ipſe locum claros ſibi Nicius inter,
Quâ dedit indignis, hâc ratione petit.

87.

IN ANAGRAMMATISTAM.

QUUM ſapere nolis, nec queas licèt velis,
Minùs operosè deſipere poteras tamèn.

88.

IN ANAGRAMMATISTAS.

QUISQUIS litterulas modò hùc, modò illùc
Invitas trahit, atq; ſeparatas
Jungit, computat, abjicit, reſumit
Ut gignant anagramma copulatæ,
Hunc nemo neget eſſe litteratum.

89.

DICTUM SENECÆ.

VOX hominis clamore vacet, riſuſq; cachinno.

90.

EX GRÆCO.

UTERE divitiis tanquam moriturus, et idem
Tanquam victurus congere parcus opes.
Eſt animi virtus ſorti moderantis utrique
Scire ſuis opibus parcere, ſcire frui.

91.

IN EPIGRAMMATICOS.

NOS, quoties nihil eſt quod agamus, carpere pravos
Aggredimur mores: ſic quoq; nil agimus.

92.

DE QUODAM MONACHO.

HIC, quem videtis calcibus nudis virum
Triſti in cucullo pallioq; pauperis
Obambulare ſemper urbes, et domos
Potentiorum pervagari divites,

Ibiq; nugas omnibus verbis loqui,
Mihi non videtur inter hos his veſtibus
Suos nec inter ſanus iſtis moribus.

93.

IN IMAGINEM G. PATINI, MEDICI.

HIC eſt Patinus, clarus Aſclepî nepos,
Per quem perire non licet mortalibus.

94.

OTIUM BELLO PERNICIOSIUS.

VICTA magis nocuit quam victrix Africa Romæ;
Quæ virtus alitur Marte, quiete cadit.

95.

AD MULIEREM.

NE nimium famæ, Mulier, placuiſſe labora;
Fama ſatis laudat te tua quandò tacet.

96. IN

96.

IN HORONII NUGAS.

QUAS tu dixiſti nugas non eſſe putaſti:
Non dico nugas eſſe, ſed eſſe puto.

97.

IN BUCULAM MYRONIS.

HINC, ſi fortè boum pereat genus omne, novandæ
Exemplar ſuperi ſtirpis habere queant.

98.

AD SUPERBUM.

QUAM tanti facis, et toties circumſpicis, umbra
Non indignaris quod tua ſerpat humi?

99.

AD NIC. BOLÆUM, SCRIPT. VET. RECENTIBUS PRÆFERENTEM.

PRÆ cunctis veteres probas poetas.
Tanto credere nos decet poetæ.
Sed quum vincere priſca te videmus
Tanto credere non decet poetæ.

100.

AD FONTENELLUM, HOS ILLIS PRÆFERENTEM.

NOSTRIS cedere priſca Fontenellus
Demonſtrare volens, et hìc et illìc
Exquirit nova præferenda priſcis.
Sed quum ſe nihil invenire cernit
Libros impatiens facit, probatq;
Noſtris cedere priſca Fontenellus.

101.

AD THESTYLUM.

THESTYLE, nemo poteſt celare Cupidinis
ignes:
Tuſſis amor ſcabies ſunt manifeſta mala.

102.

TOLENONIS PRECES AUDITÆ.

TOLLENDÆ cupidus Toleno prolis
Longinquæ ſuperat jugum Pyrenes
Divo porrigat ut preces Jacobo.
Alpes deinde perambulans nivoſas
Petri limina viſit atque Pauli.
Nec contentus adhùc maris peric'la
Contemnens Domini petit ſepulchrum
Sacram perveniens ad uſq; Idumen.
Quid profecerit hoc labore quæris?
Tres natos reperit domum reverſus.

103.

SANCTUS FRANCISCUS.

EST Franciſcanos inter lex nota ſodales,
Frater eat ſocio ne ſine fratre foras.
Huic gregis ipſe pater parebat ritè, nec unquam
Per fora per vicos incomitatus iit.
Felix lege ſuâ, ſi, quam dum vita manebat
Servavit, moriens nec violâſſet adhùc.
Verùm hunc morte obitâ pulſantem ut limina cœli
Audiit, et ſolum vidit ut eſſe Petrus,
Siſte pedem, dixit, legumq; memento tuarum,
Carpere quæ prohibent, nî comes adfit, iter.
Ergo vel expecta comitem de fratribus unum,
Æternùm ſuperâ vel regione care.
Hæc Petrus; ex illo gemit expectatq; tot annos
Franciſcus ſocium, nec tamen ullus adeſt.

104.

MOSES NOMOCLASTES.

SI ſolus admittat qui legem ruperit unam
Quid de Moſe putas? Ruperat ille decem.

106.

IN DECOLLATIONEM S. JOANNIS BAPTISTÆ.

LASCIVÆ imperii pars eſt promiſſa puellæ
Si moveat doctâ vel ſemel arte pedes.
Pollicitis majora, ſenex delire, dediſti,
Pars fuit imperii non niſi pacta tui.
Quod tulit unius pretium meretricula ſaltûs
Imperio majus quis neget eſſe caput?

107.

IN IDEM ARGUMENTUM.

TALE caput ſaltu qui vendidit inſtitor uno
Ah! pretium mercis neſciit ille ſuæ.

108.

AD LATRONEM IN CRUCE SERVATUM.

FELIX! infami quamvis de ſtipite pendes;
Tam brevis et facilis cui dedit aſtra labor.

Frangite

Frangite lictores, jam ferro frangite crura,
Hoc illi nullum munere majus erit.
Oh ego quam cuperem, ſic fixus in arbore, mortem
Hæc mihi ſi dentur præmia ferre tuam!

109.

AD JOSEPHUM.

De Herodis inſidiis in ſomnis admonitum.

INSIDIAS vobis vafri ſtruit ira tyranni,
Inſidias ſomno tu monitore fugis.
Quem metuas vir ſancte, quies cui detegit hoſtem,
Et contrà inſidias excubat ipſe ſopor?

110.

MOSES AQUIS COMMISSUS.

SIC fatur undis traditura filium
Quem corbe parvâ clauſerat.
Si naufraganti faveat innocentiæ
Cœleſtis aura ſpiritûs,
Tribuatqu; portum, nate, cymbam poſſides;
Si non, feretro conderis!

III.

AD MARITUM QUENDAM.

BIS viduata viro conjux tibi ducitur: errant
Qui credunt rebus te ſtuduiſſe novis.

112.

EPITAPHIUM IN QUENDAM.

NIL benè nil per te geſtum malè; nil tibi laudis,
Nil ignominiæ vitave morſve tulit.
Si tua nec cælo dementia digna, nec umbras
Accipit inſontes regia Ditis, ubi es?

113.

AD LYGDUM.

CUR tibi cauta dedit corpus natura puſillum?
Viderat hoc ipſo plus ſatis eſſe mali.

119.

IN ATHEUM.

QUANQUAM cœlicolas omnes detrudis Olympo
Non tu dæmonibus tamen evacuabis avernum.

120.

IN FUSCUM.

DUM, Fuſce, alloqueris manes, tumuloq; ſodalis
Eſt impoſta tuâ Nænia longa manu,
Parce precor, ſaxo clamare audita ſub imo
Vox fuit, hùc quoque nos, huc quoque perſequeris?

121.

IN EJUSDEM VERSUS PRO SALUTE LYCORIDIS.

PLENAM querelis Næniam lugubribus
Legi, Lycori, quam ſalute pro tuâ
Fudit gemens poeta: ſi me conſules
Alium parabis deprecatorem tibi.

Apud

Apud potentis numen Æſculapii.
Qui ſcripſit hæc inviſus eſt ejus patri.

122.

IN PINOTUM, MORBO COLICO LABORANTEM.

SI non efflaſſes animam, Pinote, periſſes:
Quod mors eſt aliis hoc tibi vita fuit.

123.

EX GRÆCO

Seu petimus, ſeu non, bona Dî date; ſed mala, vel ſi
Poſcimus, extentâ pellite cuncta manu.

124.

THOMÆ MORE EPITAPHIUM.

MORI memento quiſquis hunc tumulum vides:
Ille ille gentis tanta lux Britannicæ,

Charitum voluptas, dulce muſarum decus,
Virtutis ara, terminus conſtantiæ,
Hîc ille Morus, ille diviſus jacet,
Iræ furentis immolatus principis.
Pœnâ quid iſtâ fecerit dignum rogas?
Age, arrige aures, ipſe, quamvis mortuus
Tibi dicit ipſe; nempè quid dicit? Nihil.

125.

VOTA pius facit, in precibus quaſi cuncta reponat,
Rem gerit, in manibus ſit quaſi tota ſuis.

126.

UT felix ſit opus tuum precare,
Ut felix ſit opus tuum labora:
Ceu nil proficerent preces labora,
Ceu nil proficeret labor precare.

127.

ORANTIS quaſi non orantis inania verba
Sic audit, quaſi non audiat illa, Deus.

128.

MUNDUS palæstra est, vita certamen piis:
Præivit ipse Christus et docuit pati.
Difficilis est ad astra quæ ducit via,
Magnoq; constat vel suo cœlo frui.

129.

AD OLUM.

SIC loquere, ut prosis; aut si prodesse negatur,
Delectes; id si nec potes, Ole, tace.

130.

NEMINEM CURARUM EXPERTEM VIVERE.

SEMPER sollicitus fuit Irus. Cur? Quia pauper.
Nec tu, Cræse, minus. Cur? Quia dives eras.

131.

IN GALLORUM PERFIDIAM.

GALLUS et Heſperiis et Gallus notus Eois
Vix ultrà quem jam fallere poſſit habet.

132.

ALFREDUS OXONIENSIS ACADEMIÆ FUNDATOR.

ALFREDUS, per quam Danorum caſtra fefellit,
Sacravit muſis Oxoniiſq; lyram.

133.

IN HERMUM.

DICTUM nobile cognitumq; vulgò
Circumfertur: *Amicus uſque ad aras.*
Sic, et non alitèr, legunt recentum
Exemplaria, ſic vetuſtiores
Membranæq; libriq; codiceſq;.
At contrà veteres novoſq;, contrà
Exemplaria, codices, libellos,
Impreſſoſq; typis manuq; ſcriptos,
Legendum putat Hermus, *uſque ad arcas.*

134.

DE PETRO JARDIN, QUI PARISIIS OB FURTA SUSPENSUS EST.

MUTAVERE locum miracula : penſilis hortus
Nunc eſt Pariſiis qui Babylone fuit.

135.

IN INDICES EXPURGATORIOS.

COMMENDARE librum ſi vis, ne quære probantes :
Carior hic longè, ſi prohibetur, erit.

136.

DE PEDICULO.

A pede quæ parvo deduxit beſtia nomen
Non carmen carnem ſed tamen ingreditur.

137.

IN GAURUM.

EFFUNDAS versus unâ quum luce ducentos
Forte poetastris annumerandus eras.
Eximium sed te quum jactas deinde poetam
Id quoq;, quod paulùm est, incipit esse nihil.

138.

IN QUENDAM.

EXALBAS certo defrictos pulvere dentes:
Jam satis hi candent: nunc nigra corda frica.

139.

AD RUFUM.

SORS tua te ditem, naturaq; fecit avarum:
Quid tibi, Rufe, precer? Qualis es, esse velis.
Divitiis homini nihil optem pejus avaro,
Nec quicquam diti pejus avaritia.

140.

AD PRISCUM.

ROGANTI tibi, Priſce, dives Hermus
Nummos mille negavit; at negavit
Longè plus Proculo; negavit unum.

141.

AD CHROMIN.

BIS tua te conjux, tu ter feciſſe fateris:
Immemorem nolim fic, Chromis, eſſe meam.

142.

μισογαμος.

MESSENIOS mortalium ſtultiſſimos
Fuiſſe judico: Deum clementia,
Quæ ſervitute liberatos peſſimâ
Viros volebat, univerſas fœminas
Spontaneum cogebat ad ſuſpendium.
Hi quo malignam ſiſterent cupidinem

Juſſere nuda mortuarum corpora
Spectanda cunctis per plateas abjici.
Pudor furorem vicit : ille Siculus
Prudentior Meſſeniis ex arbore,
De quâ libidinoſa ſe ſuſpenderat
Conjux amici, poſtulabat furculos,
Hos arbitratus inſeri digniſſimos
Suis in hortis, ac ubique gentium.
Sed et Sabinos dixerim phreneticos
Qui bella geſſerint et a Quiritibus
Raptas cruore conjuges redemerint,
Quibus referri gratias oportuit,
Quod peſte liberaverant provinciam.
Vir factionis inſtitutor ſcepticæ
Indifferentia qui putavit omnia
Indifferentem non putavit conjugem.
Et ſtoicæ magiſter indolentiæ
Qui præditos virtute, quicquid accidat,
Nunquam dolere vult, maritos excipit.
Hanc eſſe rerum peſſimarum peſſimam
Cognovit ille Belga cujus nuptias
De more patrio petente virgine
Quum jam ſecuris immineret, maluit
Patibulum preferre matrimonio,
Et capite caruit ut careret cornibus.

143.

AD MOPSUM.

DEGENERARE putas nullas ab origine voces,
Nec veteres longis breviâſſe parentibus ortum
Nec longâſſe brevi deductum germine verbum.
Nunquid adhùc duros odium non oderat hoſtes?
Non poterat ſopire ſopor? Lucere lucerna?
Tum quoq; Mopſe fidem fidus ſervabat amicus,
Dicebatq; dicax, et laſſus ſede ſedebat,
Ducebantq; duces, et reges regna regebant.
Longa brevem longamq; brevis ſic ſyllaba gignit
Ut magnum parvus generat, grandiſq; puſillum.
Degenerent homines tam ſæpe, vocabula nunquam?

144.

PAPISTÆ AD LUTHERANOS IN SACERDOTUM CONNUBIA.

NIMIS eſt apud nos vile matrimonium,
Cui cælibatum ſcilicet præponimus:
Et cujus uſum clericis nullum damus.
Sed dum probatis ut ſacerdos perfidus
Ternâ et quaternâ ducat uxorem vice
Nimis eſt apud vos vile matrimonium.

145.

IN IDEM ARGUMENTUM.

UXOREM juvenis Lutheri alumnus
Duxit, decrepitam quidèm ſed amplis
Pulchram divitiis, quid hoc, Luthere?
An non progenies neceſſitaſq;
Quam tu concubitûs facis tuorum
Cauſa eſt unica matrimoniorum?
Uxorem ſed ego intuor frequenter
Vos non ducere; duxit iſte dotem,
Alter mollitiem, genus, favorem.
Hæc an lex tua præcipit, Luthere?
Horum, credo, velis datam eſſe cunctis
Sicut concubitûs neceſſitatem.

146.

IN PALISERUM ÆDIS GRANVICENSIS NOVUM PRÆSIDEM.

AD Granvicenſem Paliſerus venerat ædem,
Venerat, et clauſas viderat eſſe fores.
Impatienſq; moræ, claves, age, Janitor, inquit,
Da mihi, quas dare te patria dîq; jubent.

Non

Non tulit has voces, imiſq; remugiit undis
Mœnia qui propter Thameſis alta fluit.
Utq; virum ſubitâ raptum formidine ſenſit
Sic ait, irato dum levat amne caput.
Quid Superos trahis in partes, perjure, profanas?
Non hæc Neptuno, non Jove dante tenes.
Odit uterq; Deus: ſcis hoc benè; quæque negarunt
Dat manus hæc ſceleri Sandviciana tuo.
At tibi ſit tenuiſſe ſatis; patriamq; pioſq;
Muneris opprobrio parce gravare Deos.

146.

IN EUNDEM.

ADESTO, ſiquis cæteris fugacior
Inter Britannos milites:
Te, præter omnes, imperatorem fore
Summumq; prædico ducem.
Nec non ſoluti carceris cuſtodiâ
Prodite nunc, ſicarii;
Prodite, fures, ut magiſtri Curiæ
Sedeatis, aut Eccleſiæ.
Quo fiat iſtud jure quæris, Anglia?
Hoc nempè, quo nunc aſpicis
Quas deſtinâſti fortibus nautis domos
Aſyla Paliſero dari.

148.

IN GEORGIUM TERTIUM, ANGLIÆ REGEM, LUDORUM MUSICORUM SPECTATOREM.

QUI ludos fieri Rex imperat, imperat idem
Terribiles pugnas et fera bella geri.
Extera bella quidèm, luduſq; domeſticus; at mox
Extrà ludus erit, ſævaq; bella domi.

149.

IN IDEM ARGUMENTUM.

SEMIVIROSNE jubes coram te ludere cætus?
I, pete Chelſeiam; ſic quos facis ipſe videbis.

150.

AD EUNDEM REGEM, QUUM EPISCOPUS OSNABURGENSIS IN GERMANIAM IRET.

TU gemis e patriâ quod Epiſcopus exeat unus
Rex pie, ſed populus tot ſupereſſe dolet.

151.

GEORGIUS TERTIUS, PIUS DICTUS.

QUISQUIS eris qui fortè tuorum ingentia regum
Facta leges, faxo quæ cuſtos Fama perenni
Inſcribit, ſeris ſpectanda nepotibus olim;
Sive illi egregium bellis extendere nomen
Maluerint, magniq; decus Mavortis amârint;
Seu petere æternam pacis ſub numine laudem,
Et populi patriæq; patres meruere vocari:
Diſce quòd hos titulos, quòd honores abnuat iſtos
Georgius, atq; aliâ regnet virtute notandus.
Scilicet ille, manu, qui, tellus nequa rapaci
Non ſpoliata foret, communi a ſtirpe profectas
Turbavit gentes cognataq; miſcuit arma;
Sub pede qui leges libertatiſq; ſubactæ
Colla premit, mediâq; (nefas) ſecurus in aulâ
Exultat, ridetq; preces et vota ſuorum;
Imperium tanto qui partum ſanguine, tanto
Servatum, tantiq; labor quod condidit ævi
Proditor unus iners anguſto tempore vertit;
Ille pius tantùm, procul oh procul eſte profani!
Ille pius tradi fæc'lis venientibus optat.

152.

AD NORTHIUM, QUEM SOMNI AMANTIOREM ESSE ARGUUNT.

QUIS te dilecto diſſuadet, NORTHIE, ſomno?
Dî tibi dent longo perpetuoq; frui.

153.

AD EUNDEM.

QUIS te civiles expectet ſternere fluctus
Cui turbare labor ſolaq; cura fuit?
Quis te poſſe putet lapſis ſuccurrere rebus
Propter quem firmæ compoſitæq; ruunt?
Hactenùs audacis, jactator perfide, linguæ
Ridiculas ſiqui ſuſtinuere minas,
Nunc tua quum nullos habeat fiducia fines
Hos vel credulitas ipſa coacta capit.

154.

IN TRES MILITES AMERICANOS QUI ANDREAM, BRITANNICUM, EXPLORANDI CAUSA MISSUM, CAPTIVUM DESERUNT: EX ANGLICO.

MACHINA, quæ pœnas captivo ex hoſte recepit,
Ulta dolos fortîq; indignas milite fraudes,
Dedecoris noſtri paritèrq; per ultima veſtræ
Sæcula virtutis monumentum inſigne manebit.
Occiduas quandò fines ea fama relinquens
Europæ attonitas gentes pervenerat, illa
Naturæ memor, et pravæ ſibi conſcia mentis,
Obſtupuit dudùm tali vix credula facto;
Subjectis opibus partos mirata triumphos
Ducere pauperiem, capiti dum nectere quærunt
Ductores Britonûm rapas ſine vulnere lauros.
Non vos divitiæ (quibus hìc diſcrimine nullo
Plebs procereſq; ſimùl, venalia pectora, proſtant;
Quæ vires adimunt valido, linguamq; diſerto,
Virginibuſq; ſolent reſolutas rumpere zonas)
Seducunt, ſpretæq; jacent ubi crimine junctæ.
Tum verò quæcunq; fuit fiducia capto
Excidit; illum auro fruſtrà tituliſq; ſuperbum
Corripitis, quibus, ut vili data præmia conſtant
Officio, vos ſplendidiùs meliùſq; caretis.
Quid quod et ipſa ducum virtutis gloria veſtræ

Nomina

Nomina tranſcendit, tituloq; excelſior omni
Mercedem dignam cæleſtia munera poſcit.
Salvete Heroes! vos poſtera fama loquetur
Utcunque inſcripti lapides atq; æra tacebunt.
WASSINTONIACUM jactantia marmora nomen
Carpet ſera dies, vobiſq; nocere nequibit.
Felices, quibus humanæ faſtigia ſortis
Sic tetigiſſe datur, non ullis tacta tyrannis!

FINIS.